





1500032173

R 1 109

C-3

20

522



STANISLAI  
CHICOLI

FERRARIENSIS

CARMINUM

LIBRI QUATTUOR.

*Luis Quintero*  
R. de Poper.  
Novidad 1943



FERRARIÆ MDCCLXXII.

---

EX TYPOGRAPHIA JOSEPH RINALDI

*Superiorum Permissu.*

STANISLA

CHICOLI

FERRARIENSIS

CARMINUM

LIBRI QUINTOR

1774  
1775



FERRARIE MDCCXXII

---

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI KINIGER  
Superintendentis Ferrariae.

AD ILLUSTRISSIMUM, AC REVERENDISSIMUM  
DOMINUM

JOANNEM MARIAM  
RIMALDIUM  
IN SAC. ROM. CUR. AUDITOREM.

ILLUSTRISSE, AC REVERENDISSE  
DOMINE.



*Ehementer perturbor Illustrissime, ac  
Reverendissime præsul in conspectum  
tuum, & quidem gravissimum cum hoc  
libello venire, quem latino carmine  
comparavi nec satis culto, nec satis erudito. Ete-  
nim non me præterit sæculum hocce, quod a suis  
sapientibus illuminatum dicitur opus meum parvi,  
aut nihil facturum, quinimmo nugis, facetiisque*

refertum summo omnium consensu habiturum . In  
ea ætate vivimus , qua de re litteraria benemereri  
nemo potest opus quamvis diu elocubratum , ac im-  
pensis laboribus insudatum in publicam proferre lu-  
cem studeat . Auctores enim , qui juxta accomo-  
dam opinandi ac sibi placitam decidendi ratio-  
nem de potestate , ac regimine non differant , seu  
de publico jure , ac Principum auctoritate , & de-  
mum de Christianæ Religionis fundamentis verba  
non faciant nullius esse debent existimationis , nul-  
liusque momenti ; quinimmo Tyrso pungendos ac  
profligandos quam ullo laudis genere afficiendos æ-  
tas nostra arbitratur .

Idcirco commoveor valde ego , tuo Nomine opus  
hoc exiguum illustrari , cum de iis antea dictis mi-  
nime pertinet . Jam illud in cæterorum miseram  
fortunam incisurum video , nec a me scriptoris  
nomen inutilis , futilisque esse evasurum censeo .  
Qua de re cum hoc quoque tibi adversum accide-  
re dubitem sollicitus hac de causa magis fio . Ve-  
reor ne hodiernis literarum , ac scientiarum censo-  
ribus cultor rerum modicarum videaris , cum te la-  
tinos vates legere , colere , benigno vultu favere ,



complecti etiam percussos calamitate hac nostra in-  
tueantur; & adeo tali timore commoveor propter  
tui Nominis amplitudinem, ut a suscepto periculo  
velim potius abstinere, meosque versus patrocinio  
tuo carere, quam te, tuumque nomen horum ho-  
minum irrisionibus, ac contumeliis subiicere.

Spe tamen erigor & magna Præsul amplissime  
mibi comparasse scientiis informatum iis, quæ po-  
tissimum hominem decent in publica litteraria luce  
versatum, qui aliquando post graves res actas, &  
salebrosas, quæ illi usu venire debent in Romana  
curia degenti ad amenas musarum sedes secedere,  
atque illis delectari solet. Mibi quidem hæc res u-  
na solatio est te patronum obtinuisse huic operi,  
qui cum plurimis recusans sentire, qui aliter sen-  
tiunt hujusce sæculi nostri corruptelas & dignosce-  
re atque intime penetrare eximia tua ingenii, ac  
doctrinæ perspicuitate potes.

Nec nostrum est id palam agere, neque elegan-  
tiam tueri latinæ poësis; cui vetus, & nostra tan-  
tum debet Historia, quin ratio etiam, & jus gen-  
tium maximam habere partem gloriatur. Hæc vero  
res jamdiu pertractata fuerunt, & cum per se ip-

ſe eluceſcant non eſt cur pluribus verbis coner of-  
tendere. Divitiæ, honores cenſus, faſces inſignia  
denique eximia parta ab ampliffima Cæſarum mu-  
nificentiâ, atque liberalitate ſaris comprobant, &  
mirabiliter tuentur.

Non ſinam tamen aliquid parce de te dicere in-  
genue, modeſteque, cum Civitatis noſtræ te omnes  
ſplendorem, atque decorem prædicent; quin te  
ſummis laudibus celebratum contendant, atque ex-  
optent. Nihil de tua illuſtri, ac perantiqua pro-  
genie, nihil de tua nobilitate dicam. Si enim au-  
derem dicere de Riminaldorum familia te exortum  
eſſe, ſtatim commemorare fas eſſet omnes illos qui  
in ſcientiis floruerunt, & in legibus pertractandis  
magni nominis extiterunt. Idcirco te ſolum com-  
memorabo, & breviter tuæ humanitati, ac modeſtiæ  
hoc tribuam. Si in tua veteri, ac per illuſtri ſe-  
rie oculis plane perluſtro quot ſeniores fuerint in  
juris prudentia eximii, ac paulo inde Juniores cele-  
berimi; tamen te eſſe inter illos dignoſco, qui diu-  
turnis laboribus contentionibus nedum iis accedere,  
ſed illos anteire videris; ut merito hodiernus Ri-  
minaldus, ſeu recentior tu quoque dicaris atque

omni-

omnibus videaris. Præteream tuos optimos mores, tuumque vivendi institutum non solum tuis civibus carum, cæteris vero carissimum atque amantissimum: totum hoc libenter prætereo. Verum nunquam patiar conticescere te in præcipua totius orbis civitate commorantem serio ad nos sæpe animum convertere, multa meditari, pleraque perficere, quæ ad utilitatem patriæ tuæ conferre possunt; ut non solum Civibus concivis; sed ut pater optimus amantissimus habearis. Talem te omnes prædicabunt, cum domicilium hoc scientiis atque artibus universis tua opera tuaque diligentia elocubratum, atque apertum inventuri nostræ intelligant; quæ antea nullo fere scientiarum subsidio per plateas, vicofque urbis otiose detinebarur. Jam multi ad patriam hanc nostram convolare studiorum amore inflammari mihi videntur. Ut Plato quondam & Pythagoras in Ægyptum conferebantur, non ad merces, sed ad scientiarum divitias cumulandas, comparandasque.

Hiscæ sine artibus, ac studiis nunquam Civitates floruerunt, cujus calamitatis exordium ab adolescentium inertia, atque ignorantia repetere neces-

se est: Civitatem autem hanc nostram copiosis affluentem commodis existimationem laudem celebritatem, memoriam denique antiqui nominis sempiternam ante alias renovare impofterum videbimus. A te vero omnia hæc magna, & prospera cum profecta esse animadvertant, & majora quoque profectura sperent te semper laudibus celebrabunt neque inauguratum dimittent.

Sed laudibus parcendum; ne modestia tua amplissime Mæcenas abuti videar. Unum dumtaxat restat, ut tuo patrocinio me totum meamque animi tranquillitatem commendem, atque ea humanitate, qua alios soles me pariter excipias. Quod si impetravero omnium vigiliarum ac laborum meorum fructum, & quidem uberimum consecutum fuisse sentiam. Te D. O. M. diu servet incolu- mem, ut Ecclesiæ decori, patriæ præsidio, mibique utilitati esse possis.

## AD LECTORES.



Ualis, aut quantæ honorificentæ fuerit apud ejus amatores, & litteratissimos homines poetica facultas quis est qui ignoret? vereor tamen, ne cum legali disciplina, ac forensi sermone hæc omnino discrepet, cui nescio quo fato, nec qua ratione ductus me usque ab ineunte ætate obtuli. Digestum codex infortiatum & quæ aut quanta fuere antiqua illa legum volumina, quæ ferme totum orbem obruerunt adeo animum perturbant, mærore affligunt ut poesim nedum colere sed ab illa procul divertere veluti a monstro homines conentur. Musæ etenim ipsæ, quæ dulces amant recessus, ubi pax, atque animi quies undique redundat forensi strepitu perterritæ a simili cætu recedere consueverant.

Huic accedit veterum magistrorum severitas, qui poësis venustates, vel penitus ignorant, vel im merito contemnunt cultoresque suos infano furore perciti iurgiis & conviciis persequuntur. Ab eorum sententia discedere nefas est! Sine auctoritate horum seniorum, quam sitam in gravi supercilio, ac fenili aspectu volunt iuvenis discipulus nihil profuturum speret! Instant, urgent; ut perficere nequid minimum valeat. Expertus loquor! Hisce tamen non intelligo, neque defendere curavi contemnendum nempe esse proprii muneris officium, atque a seriis abstinendum ut animum ad iocosa traducamus. Absit o superi! Non video tamen cur aspernandi sint qui operam forensibus studiis navantes tandem aliquando ad animi solatium cum musis, & Apolline gaudent commorari.

Hæc

Hæc carmina quæcumque sint perfecti non desiderio laudis, neque famæ cupiditate, sed ingenio indulgendo, atque voluptati. Ego non sum Arcadum, non Intrepidorum Accademiæ devinctus, neque hoc a primatibus petere ut in eorum numero adfiscant optimum duxi. Collegia horum virorum eruditissimorum excussos versus amæniores reddere nequaquam poterunt. Cecini ad animi levamen & ut adversæ irriderem fortunæ, ulla sine lege, sine imperio natura ipsa docente, atque impellente. Debueram nec cum vobis dissentire par est. Debueram inter me, & me ipsum ineptias meas pronunciare, & eo contentus nullam vobis molestiam afferre. Satius quia nemo amicorum neque optimatum cum hoc a me postulasset conticescere debueram. Ut simulant quamplures, qui desiderio nominis oratoris vel poetæ torquentur. Nam tot, ac tantas excusationes & ita mendicatas producant quibus manifestius dum se curant defendere eorum desiderium apparet, atque elucescit.

Si quis autem veritatem amabit paucis verbis me expediam. Cum nemini etsi mihi consuetudine coniuncto carmina mea, etsi vultis nugas meas recitaverim cogitavi ut illæ volenti inotescerent. Quomodo commodius, alacrius me expedire, & ab ista animi vexatione liberare poteram; nisi typis illa, & illas mandarem! Typis edidi! Versus mei quicumque sunt ingenii mei partus. Illos amo, colo, & sæpe ut filiolis blandior. Eorum deformitas non me latet; attamen non possum, quin illos amore prosequar. Hic amor in diem adaugetur, & quod illepidum, invenustum, inelegans est; lepidum venustum elegansque videtur. Hac de causa cum ipsi cognoverint rogare non destiterunt, ut eorum æterni-

tati

tati confulerem. Sæpe enim ut pater admonui, ut a tali cura recederent, sed in pessum admonitiones paternæ abierunt. Quare lacrymis commotus eorum voluntati tandem satisfeci.

Si vobis rudes, informes, ac minus politi videantur illos excusatos habeatis precor. Sin autem ex illis aliquem observatione dignum invenietis plaudite. Quo ad me nullam amplius curam, nullumque laborem susceptorum animo deliberavi. Denique si me collaudatum dimittere putatis pro humanitate vestra gratias & quidem maximas referam, vel si potius reprehensum iudicio vestro libenter acquiescam.

Card. Polignac  
in Archivis Lib. III.

est a tu inuoluntate. Sed enim ut patet ab eorum, ut a  
si eorum, sed in bellum aduentione patitur  
aduenit. Quare laetymis commotus eorum voluntati  
tandem laetatur.

Si vobis iudex, informis, acrimia polii videretur. Il-  
los exultare habetis gratos. Sic autem ex illis ali-  
quid observatione dignum inueniatis plerumque. Quo ad  
hoc nihil iniquis curam, multitudine laborum insep-  
timum animo delibetari. Desiderio si me collaudatum  
quidam iudex pro humanitate vestra gratias & dul-  
cem maxime reuerentiam vel in coram reprobis iudicis  
vobis habere non potest.

**Non omnes omnia possunt  
Erudit ipsa dies, aetatem corrigit aetas.**

*Card. Polignac.  
in Anrilucet. Lib. IV.*





## LIBER PRIMUS.

## ELEGIA I.

## AD CENSORES.

**F**ronte supercilio, Barba venerandus, & ævo  
 Si quis forte elegos, excipiatve jocos;  
 Quos cecini, nostro, dum floruit ore juvenus  
 Te prius admonitum Censor amice volo.  
 Non mihi romani sunt abdita jura magistri;  
 Nec lusi invita Pallade, nec cecini:  
 „Carmen & in Metii descendit Judicis aures „  
 Annos neve novem distuli ad usque decem.

Quid

Quid præcepta juvant? licet emendanda subessent  
 Plurima carminibus, quæ siluere diu.  
 Demere nil Metius voluit, non addere quidquam,  
 Unde nihil iuvat subdere iudicio.  
 Ipse ego delevi intus, quæ delenda putavi,  
 Sed quis erit proprio Tutor & hostis agro?  
 Debueram fateor non edere scripta libellis;  
 Debuerant cartis collatitare meis.  
 Ast ego iam pridem phæbi devinctus amore  
 Ante diem ausus sum carpere Montis iter.  
 Quare si (nostrum quidquid rude carmen habebit)  
 Aptaque non numeris verba latina legas;  
 Pieridum cultor nostris ignosce camænis  
 Carmine difficiles dum sequor ipse vias.  
 Dic mihi dic misero, Metii si cura fuisset,  
 Redderet optatum tempore sænus ager.  
 Si me lascivum legeret Ferraria vatem,  
 Gauderet nostros quisque referre iocos.  
 Relligio sed sancta vetat producere lusus,  
 Quippe canunt venerem nox, erebusque tenent.  
 Carmina quæque vides Tusco sermone peracta  
 Illis dic quæso, quæ tibi cuncta placent.  
 Sat mihi si tuti fuerint mea pompa libelli,  
 Quos dedit hinc latio Calliopea modo.  
 Denique si nostros perges illudere versus  
 Ingenii partus profer amice tuos.

Crede mihi Lincevs alieno in carmine quisque est  
 Incipe nunc numeros incipe Musa meos.

AD SANCTISSIMAM V. MARIAM  
 AB ANGELO SALUTATAM.

## ELEGIA II.

**N**ondum prima parens decerpserat arbore malum  
 Quod dedit infano capta furore viro.  
 Nullus erat labor, & nullæ cum mænibus urbes  
 Claudebant tutos oppida nulla viros,  
 Non tuba tunc aderat, magno quæ pulsa fragore  
 Turbaret pavidos per vaga prata greges;  
 Nec sublimis equo premeret qui Miles aristas  
 Aut raperet clavum nocte iuvante pecus.  
 Pastor nullus erat revocans de Monte capellas,  
 Ponebat duro membra nec ægra solo;  
 Vomere nec proni desistere colla iuveni  
 Aut norant laxo nocte redire iugo.  
 At dulces semper pendebant vitibus uvæ  
 Undique & Hybleis mella liquata favis.  
 Læta Ceres, Baccusque pater de colle rubebat,  
 Sponte sua fructus terra inarata dabat.  
 Ast vix gustavit Genitor lacrimabile pomum  
 Coniugis heu nimium credulus Illecebris

Nunc

Nunc æstus hyemesque pati, genus omne malorum  
 Cogimur & sæva bella cruenta nece.  
 Bella erebo digressa cavo sunt tela, facesque  
 Atque est de stigio lata carina Lacu.  
 Ipse Charon docuit trabibus componere naves,  
 Et subter nigra spargere texta pice.  
 Post furor edocuit proscindere remige fluctus  
 Graiugenasque euris pandere vela rates.  
 Hinc cecidit multa sædatus cæde Patroclon  
 Sanguinea Xantus fluxit & amnis aqua;  
 Atque adeo insanas egit discordia gentes,  
 Ut non ense viri bella, sed igne gerant.  
 Regna cadunt, vastantque urbes incendia flammæ  
 Nunc iacet ( heu fatum ) Troja superba cinis.  
 Quos domus una tegit, Thalamus quos colligit idem  
 Arma ferunt, lacrymis strata, laresque sonant:  
 Uxor sæpe cadit ferro confossa mariti,  
 Natus & in patrem Tela cruenta parat.  
 Quæ Deus ætherea miserans dum cernit ab axe  
 Talia non semper dura feretis ait!  
 Tum iubet acciri iuvenem, cui purus in ore  
 Stat decor, & nardi spirat odore coma:  
 Cui sic: Alituum Princeps, qui nostra facessis  
 Mandata, & nostri Nuntius ipse animi es:  
 Huc mentem converte tuam, medioque reconde  
 Pectore cælesti dicta ferenda Deæ.

Cognita Jordani palmis stat dives Idume  
 Urbs antiqua armis, sed mihi cara magis,  
 Quod talem gremio claudit venerata puellam,  
 Cui nullam posthac astra tulere parem.  
 Namque domi degens sancto cum coniuge iuncta  
 Primævum servat Virginitate decus.  
 Hanc ego delegi cunctis ex omnibus unam,  
 Quæ casto gereret pignora nostra sinu.  
 Vade age dicta refer? subito per nubila Missus  
 Advolat, & celeres præterit ille notos.  
 Illum jam longe venerantur sydera euntem,  
 Phæbus & auratis proflit inde rotis.  
 Jamque domum ingrediens humentes temperat alas  
 Atque ita Cælestes incipit ore modos.  
 O decus astrorum Virgo Davidica proles  
 Magnorum salve deliciae superum!  
 Te divum Genitor sancta sibi lege sacra vit  
 Inque tuo sanctum pectore adhæsit onus:  
 Mater eris! cunctis laudata at matribus ibis  
 Felicem talem non tulit ulla dies.  
 Tu Regina poli radiis circumdata solis  
 Æternæ recoles tecta Beata plagæ.  
 Obstupuit Virgo subita perterrita luce  
 Intus & ignotum pectore nomen agit.  
 Quid dubitas vanum virgo compelle timorem  
 Ales ait! non te fraudibus excipere

Huc veni; expectata diu sacra pignora terris  
 Et sanctum Numen tu paritura dabis.  
 Illa autem contra demisso lumine fatur.  
 Matrem me tanti Numinis esse refers;  
 Mater ego? castæ primis quæ semper ab annis  
 Candida servavi Jura pudicitæ?  
 Quam nec amor sponsi nulli rapuere Hymenæi  
 Num mea num Matris perdita vota putas!  
 Tum vero divum Interpres sic excipit. omnem  
 Tolle metum, afflatu nam Deus æthereo  
 Implebit ventrem, & faciet te prole Beatam,  
 Non eget humanis ille ministeriis.  
 Neu metuas coniuncta tibi nam sanguine avito  
 Stat Mulier, sterili quæ veneranda sinu  
 Fert puerum; & fætus sexto sub mense laborat  
 Cuncta Deo parent, & regit omne Deus.  
 Obstupuit, trepidansque metu silet obvia virgo,  
 Errantesque genas textit, & ora rubor.  
 Non secus ac Fæbi radio conversa nitenti  
 Concha sub æquoreis lucida litoribus  
 Emicat; aut qualis ponto, quæ mergitur alto  
 Stella volans nostros præterit ante oculos.  
 Tandem convertens ambas ad sydera palmas  
 Sacrato tales fundit ab ore sonos.  
 Iussa sequor quocumque vocas; nec dicta refello  
 Tuque mei Testis Sancte pudoris ades.

His

His dictis erebi mæstæ gemuere cavernæ  
 Latratuque fero cerberus ingemuit.  
 Dum Missus revolans summi petit ardua campi  
 Æthere descendens en Deus ipse Deus.  
 Intumuit Virgo, sanctasque amplectitur aras  
 Magnum dum sentit Numen inesse sinu.  
 Intonuere poli læva de parte serena,  
 Aligerum & laudes concinuere chori.

## A D J E S U M .

O Nox candida, nox diu cupita;  
 Quid hoc tempore dulcius venusto;  
 Aut quid esse potest beatiusve.  
 Cæli deliciæ puellus ille,  
 Ille deliciæ meæ puellus  
 Tanto cælicolæ quem amant amore  
 En nunc ortus adest, adest en ortus!  
 Non huic similis fuit per annos  
 Ullum nec similem videbit ætas  
 Adfunt cui comites, nitor, decusque  
 Et chori caritum venustiores.  
 At vos interea notique, & euri  
 Ac venti horribiles tacete, & omnes  
 Abite ad gelidos procul Triones.  
 Nunc redat Zephiri tepentis aura,

Quæ suaviter effluens cachinis  
 Claudat rubidulos quiete ocellos.  
 O felix casula; o domus beata;  
 Et centum domus omnium Beata.  
 Tu sola exiguo tulisti in alvo  
 Artus lacteolos mei puelli  
 Carior mihi vel meis medullis.  
 Aut si carius est meis medullis:  
 Salve sancta domus, domus beata  
 Sola quæ frigas virum columnas  
 Et Regum superas domos potentum.  
 O nox candida diu cupita,  
 Quid hoc tempore dulcius venusto,  
 Aut quid esse potest beatiusve.

## A D J E S U M.

**S**Ancte Puer, qui cuncta tuo sub numine torquens  
 Auroræ populos, Hesperiosque regis;  
 Rex hominum, Divumque pater, quem pontus, & aer  
 Et stigii manes, cælicolæque pavent.  
 Adsumus en claro perducti sydere cæli  
 Adsumus, & flexi poplite te colimus.  
 En tibi Turra damus, sanctas tibi ponimus aras  
 Sacraquæ votivis carmina muneribus.



Mortales adfuesce puer cognoscere votis  
 Incipe muneribus tendere parve manus.  
 Hæc fat; nam feri statuent pia templa nepotes,  
 Externisque ferent marmora littoribus.

AD JESUM MARIA.

**T**E dilecte Puer, Puer  
 Te tandem unus amor patris,  
 Et nostri decus, ultimæ &  
 Vitæ præsidium meæ  
 Te cerno, loquorque.

Cantu dicite Virgines  
 Et puelli io dicite,  
 Vosque, culmina montium  
 Plaudite, equoreisque io  
 Pisces reddite ab antris.

Heu nomen quoties tuum  
 Audivere poli, & procul  
 Noctis sydera candidæ:  
 Echo heu quoties mihi  
 Est responsa querenti.

Hos Ego fluvios, & hæc  
 Contestor nemora; antraque  
 Sylvarum horrida tigribus;


Et natantia per mare  
Magno corpore cete.

Hic ubi exoriens aquis  
Fons vagum rigat ortulum  
Me per muta silentia  
Clamantem tulit, & meis  
Crevit fletibus unda.

Nam seu lumina Lucifer,  
Noctis, seu tenebras ferat  
Surgens vesper ab æquore:  
Mihi nulla quies erat  
Te te Nate vocabam.

Donec fessa sopor mea  
Parum membra rigaret at  
Huc, illuc subito nigro  
Errabant pede tristia  
Circum somnia mentem.

Ast nunc te Puer, o Puer  
Te tandem unus amor Patris  
Et nostri decus, ultimæ &  
Vitæ presidium meæ  
Te nunc cerno, loquorque.



A D A P O S T O L O S  
M A R I A .

**Q**Uæ nova, quæ subita e celo lux emicat alto  
Et nos insolitus quis calor intus habet?  
Nosco Numen adest, adest olympto  
Densas lumine quod fugat  
Umbras; ignibus & suis  
Nostras; admovet intimas medullas.  
Ergo qua cedit, qua redit unde dies  
Ite viri, & sanctas late diffundite flammæ.

M A R I A A D J E S U M .

ELEGIA III.

**I**AM lacrymis maduere satis, iam fletibus ora  
Imbuit, atque satis pectora nostra dolor.  
Tristes ite procul curæ, procul ite querelæ  
Ite procul, flendo tristia sat tulimus:  
Nec modo Golgotheo rorantia saxa cruore,  
Infandæque trabes suppliciumque necis;  
Nec modo fixa meo subeant fera vulnera nato  
Qui tandem moriens crimina cuncta luit.  
Vidimus heu miserum, media dum morte natabat  
Vidimus heu nigra claudere nocte dies

Ast ego necququam fletu consumor inani  
 Ite procul? fulget nam mihi fausta dies.  
 Quemque ego surreptum fatis iam sæpe vocavi  
 Ingrediens superum regna beata tenet;  
 Immensumque animo totum complectitur orbem  
 Quidquid & horrisono continet unda mari  
 Latonæ hinc cursus stellarum lumina noctis  
 Solis & ardentem dirigit axe vias;  
 Et ventos, imbresque pluit, fluctusque sonantes  
 Efficit, & varias per loca summa vices  
 Aurea ubi vere percurrunt sæcula mundi  
 Quæque sibyllinis scripta fuere modis;  
 Fulmine cum nondum terreret Iupiter urbes  
 Lata nec impositus diceret arva lapis.  
 Felix cui Patris regnum penetrabile Tonantis,  
 Atque parent summæ lucida regna poli.  
 Te modo cælicolæ cytharis, atque ore salutant  
 Te flexi sanctum terque, quaterque vocant;  
 Cum post innumeros casus, post funera victor  
 Duxisti e stigio plura trophea lacu  
 Illustres animas tenues sine corpore vitas,  
 Quæ colerent sacræ templa beata casæ.  
 Salve sancte Puer, semper Pater augeat arces  
 Jamque tuis lætor ipsa ego lætitiis;  
 Utque meis doleo ipsa malis, doleo te abfore semper  
 A cara longe te abfore matre queror:

O spes,

O spes, o solum rebus solamen in arctis  
 Sancte veni, & celeri Numine siste pedes.  
 Ut cum mortales tandem consumpsimus auras  
 Hæc saltem cineres contegat urna meos.

## AD MARIAM ASSUMPTAM.

## ELEGIA IV.

**A**Dvenio furgens erebi de nocte profunda,  
 Pallida ubi putri murmurat aura sono;  
 Umbrarumque ater circum diffunditur horror,  
 Et metus, & rabies & mæfana fames.  
 En septem foribus superas me vexit ad auras  
 Non acheronteo cymba reperta lacu.  
 Quas non vidiſſem docto niſi capta Dracone  
 Cederet illecebris fæmina vana ſuis;  
 Falleret & carum dolci ſermone Maritum,  
 Ut ſuperis vetitum manderet ore cibum.  
 Hinc vitale genus pallenti morte peremit,  
 Hinc dolor, & lacrymæ; hinc proſiluerè mala  
 Et cædes, cladefque hominum, vaſtataque Regna,  
 In fata & tantis bella reperta modis.  
 Pro natis Genitor plorat, pro funere Mater,  
 Ubere quos teneros abſtulit atra dies

Mæſta

Mæsta soror fratri, persolvit iusta parenti  
 Filius; & Coniux ossa cremanda legit.  
 Nunc gemit uxorem mutata sorte maritus,  
 Componitque sacris busta pianda locis.  
 Mecum cuncta traho postremis debita fatis;  
 Scilicet & fufis blanda puella comis,  
 Quæ possit stigos precibus placare colubros  
 Non me cum gemitu vota movere valent;  
 Ne tegat ossa lapis, squalentesque occupet artus  
 Quæque venusta fuit pulvis & umbra foret.  
 Unam sæcla vident, lumen quæ funere primum  
 Servat adhuc, primum quæ tenet ore decus.  
 Hæc potius rerum ordinibus sublata videtur  
 Quam fato primi rapta fuisse patris.  
 Nunc mihi quas superi vires, quas astra dedere  
 Experiar, licet & proxima facta Jovi  
 (Invita hoc fatear) magnum super incolat æther,  
 Agmina cui plenis lilia dant manibus,  
 Excipiuntque chori iuvenum, plauduntque puellæ,  
 Et læta circum carmina voce canunt.  
 Venisti Virgo tandem, pulcherima tandem  
 Gloria, præsidium, cælicolumque decus.  
 Salve cara Dei Genetrix, sanctissima salve  
 O sola infido stella sinusque mari.  
 Salve sancta Parens te non contagia culpæ  
 Nullaque læserunt semina prima mali.

Irrita necquiquā hæc iactent, nam membra per agros  
 Ludibrium ventis, alitibusque dabo.  
 Talia dum expedio Ditis mihi sancta favete  
 Numina, si qua chaos (Regia vestra) colit  
 Mille quibus nectam nocturnas frondibus aras  
 Et cadet ante sacras nigra iuvenca fores.  
 Dein novies magica carmen cum voce susurrat,  
 Qua mare, qua tellus, qua tremuere poli.  
 Quid nostræ profunt artes? vox irrita cessit,  
 Hæc quid, quid dixit carmina nostra iuvant?  
 „Panditur interea domus omnipotentis Olympi,  
 Pictus & aligerum defilit inde chorus  
 Timpana qui cytheras digitis, qui cymbala pulsant  
 Quos inter Virgo conspicienda sedet.  
 Aspice luminibus, rubeis, ut pulchra labellis  
 Ut per diffusi candida colla fluant  
 Intonsi crines, radientque monilia luce,  
 Tempora et ut circum gemmeus orbis eat.  
 Cernis ut incessu diffundant purius auras  
 Æthera, & astra procul candidiora micent;  
 Atque novos subpter flores nova gramina tellus  
 Germinet, atque iterum dulce querantur aves.  
 Cernis ut. Invita ast celeberrima dum carmine laudes  
 Tendit ad igniferas Virgo superba plagas.  
 Invita hæc fateor, neque qui premit ossa dolorem  
 Ore tegam; ast visis conscius orcus erit.

Ut

Ut digressa orbem, cælum spectare serenum  
 Et datur immensi sydera clara poli.  
 Summum scandit iter similis sub vere columbæ  
 Quæ liquidas pennis non fecat alba vias.  
 Vos nigri interea crudelia Numina ditis  
 Me finite in vestro compenetrare sinu.  
 Sydera salvete, & salve gratissima tellus  
 Dixit: & adversa cuspide pressit humum.  
 Hinc patet, immanique voragine finditur orcus,  
 Er redit ad stigias mors furibunda domos.

## AD DIVUM ALOYSIUM.

## V.

**N**on fons tam puris de vertice profilit undis  
 Ad quem poturas vespere pastor oves  
 Nunquam adduxerit; aut pervenerit ulla lavatum  
 Diva faretratis cognita virginibus.  
 Candida non tantum euganeis nix collibus albet,  
 Aut lac expressum nuper ab uberibus:  
 Ut mens pura nitet, venerisquam nulla voluptas  
 Ulla nec invasit flamma inimica sinum.  
 Flamma adeo, quæ me noctuque, diuque fatigat  
 Semper & impuris turbat imaginibus;  
 Ut me nulla novem subeat iam cura sororum  
 Amplius, aut cytharæ quæ mihi cara fuit.



Da Gonzaga mihi curæ moderarier isti,  
Auspice quo laudes texere Musa studet;  
Dum te nulla, animique tui tam turpis imago  
Ausâ est impuro limen adire pede.  
Scis etenim ludens quantis, aut qualibus ora,  
Candida purpureis erubuere modis,  
Oscula cum virgo deffigere iussit in umbra  
Quam dabat oppositis Delia parietibus.  
Definite in teneras convicia ferre puellas,  
Si vestro o iuvenes pectore regnat amor.  
Non nos fata movent, nil nos crudelia cogunt  
Astra, duces nos ipsi ad mala nostra sumus.  
Nunc oculos, dulci nunc labra madentia rore  
Spectamus digitos, languidulasque genas:  
Iuramusque fidem mansuram ad funeris horas,  
Nec sine iuramus vivere posse diu.  
Qui fugit exsuperat Venerem, diffugit ut heros,  
Artus qui similes, ingeniumque tulit;  
Cui natura dedit turritis manibus urbes  
Et defensa feris oppida militibus;  
Insignesque atavos bello, vel pace colendos;  
Quorum fama virum docta per ora volat;  
Et semper referent positis monumenta columnis  
Grandia gesta, breves scripta per historias.  
Ut natis multæ optarunt connubia matres  
Pro quibus incassum sæpe dedere preces:

Nara-

Namque omnes habet invisas, contemnit & omnes  
Atque Hymenæe tuas diffugit ille faces.  
Mirum! nec Dominæ vultu dignatus honesto est,  
Cui pater illustri dederat officio;  
Ut mensis primus cerealia dona ministret,  
Demat & a creffis fortia vincla cadis.  
Fusæ ubi divitiæ, radiisque micantibus aurum,  
Ridet odoratis gratia compta comis.  
Hic ubi semper ovans ludit lasciva juvenus,  
Sollicitatque pedes, vel fera gaudet equis,  
Membra vel exercet duro sub pondere Martis  
Conspergens mollem pulvere Cæsariem:  
Quos inter medios tardo devectus asello  
Non dubitat festa luce venire puer.  
Magna licet quæ sint nos prætereunda putamus.  
Conscia vos cæli sydera clara voco  
Quæ puerum vidisse ferunt armare flagellis,  
Et variare crebris pectora vulneribus.  
Heu desiste puer! tua quod comittere tantum,  
Quod tantum potuit dextra patrare scelus.  
Debita nonne tibi contempsti regna parentis  
Regnaque cum titulis non spoliata suis.  
Non placidi mores, non mitia corda patescunt.  
Sanctaque cum superis vita peracta choris.  
Quapropter succurre meo succurre labori,  
Impuram & tantam pectore perde luem.

Hoc

Hoc mihi si facias, festis tibi sacra diebus  
 Annua dum venient maxima semper erunt.  
 Te semper recolam, & supplex venerabor acerra  
 Suspendamque aris plurima vota tuis.

DE STATU SINE AMORE FELICI, ET VICEVERSA.

ELEGIA VI.

**C**ur mea non fregit vitalia stamina Clothos  
 Nec lavit teneros horrida lympha pedes?  
 Cur teneros laniata meos non clausit ocellos  
 Et tremula genetrix condidit ossa manu.  
 Non acherontæ diffusa incendia ripæ  
 Gorgoneosque angues, tergeminumque canem;  
 Proiectumque virum per iugera longa timerem  
 Rostrato vultur cui vorat ote iecur.  
 O Felix si extrema mihi lux prima fuisset  
 Natalemque meum clauderet urna diem.  
 Elisas colerem sedes pia gaudia vitæ  
 Ver ubi perpetuo convocat aura sono.  
 Verum aliter superis visum, Venerique resedit  
 Nam postquam Claris fæmina luminibus,  
 Illecebrisque novis iuvenem me caput inermem  
 Dulcia de nostro cuncta fugavit amor;

Nulla

Nulla quies animo, quondam solatia vitæ  
Nulla valent tantam demere amaritiam.  
Jam mihi triste nemus, volucrum genus omne perosū  
Nescio quid lymphæ tristius amne sonant.  
Arva beata valent, pendent modo rētia tectis,  
Nec premit indomitum tramite calcar equum.  
Nunc mihi cura subest peregrinos quærere cultus,  
Et bene dispositas arte ligare comas.  
Fibula nunc decet, atque arabum perfundere odorem,  
Et varias vestes ducere ad usque pedes.  
Frigida sævit Hyems, sed non gerit alba galerum  
Cæsaries, nullum pileolumque caput.  
Interea comptis procedit Della capillis,  
Cui maris in digito lucida gemma micat;  
Atque rubent niveo contexta monilia collo  
Et nitet in roseo non suus ore color.  
Hei mihi non Heliconæ iuvant, dulcesque liquores,  
Pieridumque sacris invigilare choris.  
Hei mihi non Sophiæ cultos errare per hortos  
Lustranti Montes, falsaque regna maris;  
Lucentesque globos certa sub lege vagantes.  
Sic nostro fixus pectore regnat amor;  
Sævus amor cui nulla queunt obsistere contra  
Non molita nigra lemnia scuta manu.  
Sic luces cogor vigiles traducere, & umbras,  
Corpus & in duris ponere liminibus.

Ah

Ah quoties bruma gelidi riguere capilli,  
Ah quoties nostris nix stetit alta comis;  
Pallidus ut cupiam stigas migrare lacunnas  
Dum secat e tristi stamina Parca colo.  
Fortunate puer, cuius fera iussa puellæ  
Non cogit sævo subdere colla iugo.  
Ille etenim dulces per amica silentia somnos,  
Et ducit longas culta per arva moras.  
Ponite, qua campus nulla recreatur ab aura,  
Æstus ubi assiduus tristis hiulcat agros.  
Ponite, qua nivibus Rhodopes, qua Caucasus albet  
Æstus, non illi frigus, & aura nocet.  
Sit clarus, vel densis circum stet nubibus æther  
Lætus adest, lætos vivit ubique dies.  
Gaudet equis, gaudet venari in monte leones  
Imbelles lepores, fettigerosque suos.  
Viribus aut validus dubio se credere Marti  
Partaque ab hostili præda cruore placet.  
Si pius ingenio, Musarum templa frequentat:  
Incipit aoniis ora rigare modis.  
Delicias vel ruris amans fera sarcula tractat  
Et sua gignendis femina donat agris.  
Ipse ferit vites, dulces & vinitor uvas  
Exprimit, & ramis roscida poma legit.  
Vel numerare pecus, digitis perstringere mammas  
Tondere & gaudet vere repente gregem.

Sive domi celebrare dapes comitatus amicis  
 Cæna ubi spumoso splendet inempta mero.  
 Ducere seu gratos nocturno sydere cantus  
 Seu varios læta simplicitate iocos.  
 Hæc mihi cara fuit nullo turbata tumultu  
 Vita prius, cum non conscia amoris erat.  
 Credite nulla fides cupidis in amore puellis  
 Blanditiis, verbis credite nulla fides.  
 Non secus ac fallax radiis procul emicat ignis;  
 Sic nitet a longe, cominus ardet amor.  
 Ut plantis glacies, teneris & floribus æstus,  
 Arboribus grando, seminibusque nocet;  
 Ut volucris viscus, rapidis & retia Cervis,  
 Humano generi sic inimicus amor.

## DE VATUM PAUPERTATE.

## VII.

**T**anta ne semper agent miseros dispendia vates  
 Et premet insano fors inimica pede?  
 Dira fames vacuo semper latrat imbroba ventre,  
 Ardet inexausto semper & ore fitis.  
 Imber & æstus habet; nivibusque argentibus horrent,  
 Vix micat in tenai lucidus igne focus

Nec

Nec capiunt fruges dulcis, nec dona Liei  
 Et segnes cythara, carminibusque iacent.  
 O donum infelix aurire e fonte liquores  
 Pegasidum, & viridi cingere fronde caput.  
 Cur vestras superi carpsere oblivia mentes  
 Nostis enim fuerit quam pia turba diis.  
 Cumque giganteos scripsit devota furores  
 Victaque supremis prælia Numinibus.  
 Versibus Euridicem nigro revocavit ab orco  
 Orpheus, & movit tartara dura prece.  
 Hac arte ellucent flammæ infelicis Elisæ  
 Bisque Elenæ raptu pergama fracta vigent  
 Et vivent secum ( ulla unquam nec diluet ætas )  
 Tidides gemini, & tu ferus Hæctor equis;  
 Lariadesque vaser verbis, & fortis Uliſſes;  
 Innumerique alii, quos vaga fama refert.  
 Si iuvat annales ab origine quærere rerum  
 Non Dido infelix, nec ferus Eacides.  
 Non ita Cæſar erat romanæ gloria gentis,  
 Troiani ut cecinit qui tulit arma ducis;  
 Nec pius Auguſtus tantum laudatus abiret,  
 Et ſua læteis fama iaceret aquis.  
 At domus Eſtenſis vatium non indiga laude eſt  
 Hiſtoria & tædis cognita Cæſareis.  
 Attamen illa memor proavis antiqua ſuperbit;  
 Et gaudet muſis o Lodovice tuis

Quas relegens claro exoriens mē Lucifer axe  
Elapsæ noctis sæpius immemorem  
Invenit; quandoque tuas Olimpia sortes  
Desertis flentem perdita littoribus;  
Candida sive exoprantem tua fata Medore  
Dum insperata capis gaudia coniugii.  
Credite non tantos mirabimur orbe poetas  
Si manus ingeniis dura negasset opes.  
Quantum erit aut viduas, parvos spoliare nepotes  
Dum sub venali Iudice causa subest;  
Armatasque acies inter discurrere portus  
Et subita tutas perdere morte rates;  
Nec divum memores, scelerum genus omne suasi  
Ferre venenato pocula plena mero.  
Quam melius celebrare iocos, tenerisque puellis  
Ad sonitum celeres consociare pedes.  
Vidi egomet ut tantum referam de millibus unam  
Vidi egomet quamdam nomine Fillirides.  
Hanc Canna contexta domus, stipulaque palustri  
Cogebat parvas & scyphus ante dapes.  
Fila colo versata, sui fusique labore  
Velabant festa luce nitente latus.  
Quæ simul ac inopis contempsit tecta parentis  
Seque choro, & turpi dedit adulterio  
Argenti massas fulvi congeffit & auri;  
Portat ut externis Navita littoribus,



Nascitur & quidquid rubra pretiosius unda,  
Divitibusque tulit munera tanta procis.  
Ut multos teneat famulos totidemque ministras,  
Quæ colat apta sinum, quæ colat apta pedes  
Crinibus interea per candida colla solutis  
Illa toro residens detinet arte viros.  
Tum faciles gestus iucundo lumina risu,  
Et facies, oculi sunt in amore duces.  
Tecta micant distincta auro, depicta figuris  
Spirat acidalio semper odore domus.  
Srata iacent vitreo sub fornice rite locata  
Atque vides speculis membra nitere suis.  
Hinc laqueos Veneris, circumque cupidinis arma  
Pariete picta super prælia amoris habes.  
Ut Divum Rector Danaen quo fallere possit  
Ex auro in pluviam totus abivit amans;  
Erravitque altos tauri sub imagine montes,  
Europæ exuviis ut frueretur Herus.  
Non procul hinc saltus & lirceæ antra videres  
Numine pressa quibus procidit Innachides,  
Et vultu mutata suo diruminat herbas  
Iunoni nullum ut prodeat indicium,  
Sive ut olorinas vestivit corpore pennas  
Iupiter, in Semelem ut sumpsit arma manu  
Fæmina nilmirum si talia captet amando,  
Quis non fæmineis decidet insidiis.

Hæc si ignarus habet nequeo, quin mirer & angar  
 Prodeat inflato dum mala turba sinu.  
 Turba virum recti, contemptrix turba Deorum;  
 Quæ studium, & doctos ridet in urbe viros.  
 Ergo phæbe vale, musæ valeatis amicæ,  
 Nec non pindaricis quæ fluis unda iugis.  
 Pellice si vates, mimis spoliantur iniquis,  
 Nec restat vacuo ni levis aura sono

AD AMICUM OB RECUPERATAM VALETUDINEM

E L E G I A VIII.

CUM mea mens animo volvebat funus amice;  
 Rebar & æternas te subiisse domos.  
 Littera pervenit nigro cum stigmamate pressa  
 Nuncius incertus, nec mihi certa manus.  
 Obstupui primum, digitis cecidere remissis  
 Scripta, oculis lacrymæ tunc cecidere meis.  
 Dicere plura dolor, convicia plura coegit  
 Noster amor stigiis, cælitibusque choris  
 Hei mihi spes vitæ tardæ columnæque senectæ  
 En collapsa omnis cura fodalitii.  
 Hei mihi tartarea traiecit flumina cymba  
 Nec potuit dulci flectere voce deas.

Nec

Nec (itulte) interea perlegi carmine sensus,  
 Quos dabat argutis cognita Musa iocis.  
 Vix te surreptum cognovi e limine mortis  
 Adstiti ut alpinis planta vetusta iugis.  
 Sic manet immotus viridi sub tegmine pastor  
 Non expectato si tonet igne polus;  
 Et nigro præceps descendens æthere fulmen  
 Impellat pavidum per cava saxa gregem;  
 Sed cæli postquam vani cessere tumultus  
 Ille redit lætus, dinnumeratque pecus.  
 Ergo sint phæbo grates, tuque incipe cantus.  
 Fæbe decus cæli, Pieridumque choris  
 Splendida cui centum surgunt altaria templis,  
 Et totidem miris sculpta theatra locis.  
 Primus inexpertos docuisti pellere morbos  
 Nec puduit medica pharmaca ferre manu.  
 Primus & ante fores cecinisti carmen amicæ  
 Pectine dum tangis fila canora liræ;  
 Purpureisque prior cinxisti limina fertis  
 Limina furtivo iam referanda pede.  
 Per te subverso celebrantur pergama bello  
 Per te victori Laurea ferta duci.  
 Parce Pater mihi parce tuos si forte dolores  
 Nunc renovo ingratham Daphnida dum sequeris.  
 Siste puella pedes, retinet qui monte camænas  
 Qui cælo stellas, diffugat & tenebras

Ipse petit thalamos: Tellus huic delphica servit  
 Hic iactat summum pro genitore Iovem.  
 Siste puella pedes, virgo Penneia siste,  
 Ocyor at celeri devolat illa Noto.  
 Quid faciet misera, & quam nunc fallet amantem  
 Arte suum, instat iam post sua terga Deus.  
 Ora, genasque Pater, clamat, converte figuram  
 Da pater æterna Virginitate frui.  
 Dixerat, & duro præcingi cortice pectus  
 Sensit, & intortos vincla ligare pedes;  
 In ramos abiere manus, frondesque capilli  
 Fitq. Arbor cupido Nimpha petita Deo.  
 Laurus eris, viridique tua Capitolia fronde  
 Vatibus & cinges tempora cana suis.  
 Nulli te venti, tempestatesque sonantes  
 Vertere nec poterunt tela trifulca Jovis.  
 Quem Numen tandem deiecit corde dolorem  
 Leucotœ ut gaudet versus in Eurinomem.  
 Fæbe potens iaculis, & spicula tendere cornu  
 Doctus & horrentes figere monte feras.  
 Tu pharetra laudatus abis, tibi rustica pubes  
 Instituit festis pythia sacra iocis.  
 Iam caris viduata suis cultoribus arva,  
 Lugebat nullo vomere cultus ager,  
 Innuptæque magis flebant per tecta colonæ  
 Quas monstro patres religione dabant

Candida nil femora, aut oculi, pectusque decorum  
 Virginibusque nihil clara Alabastra sinus,  
 Vertice nec longos iuvit diffundere crines,  
 Nec gerere in rubeis mixta ligustra rosis.  
 Innumeras extinxit ovans Pithona puellas  
 Denique sæbeo vulnere cæsa cadit.  
 Sæbe tamen nostro semper laudabere versu  
 Per te cum fuerit reddita prima salus

L U S U S P O E T I C I  
 M A N E .

**E**Xit ab eoo roseis Aurora capillis,  
 Et splendent croceis faxa cacuminibus .  
 Illa gemit cani gremio divulsa mariti,  
 Pro reditu facit & plurima vota senex.  
 Dum levis aura venit solvunt de littore Nautæ  
 Et redeunt fortes ad iuga dura boves .  
 Villicus hinc vitulos, resonans de more cicutas  
 Pastor oves ducit, qua viret omne nemus.  
 Iam residens patulo piscator margine ripæ  
 Scrutatur pisces falere in amne cibo .  
 Exilit e stratis, pedibus properatque citatis,  
 Exorta & sequitur luce viator iter  
 At quibus est cordi canibus præcingere saltus  
 Exsurgunt celeres, & cava lustra petunt .

## M E R I D I E S

**E**Vacuant bona vina cadis, umbrasque requirunt  
 Agricolaë, medio dum furit axe dies.  
 Sydereis qui stratus agris languescit, & ardet  
 Deque suis pendent arida ferta comis.  
 Hinc rastro durusque bidens, forfexque bicornis,  
 Et diffusa sine cernis aratra bove.  
 Gramina nulla legunt, mussantq. armenta sub antris,  
 Vel prope populei qua fluit unda padi.  
 Arva silent, volucres per frondea tecta morantur,  
 Perstrepit & rauco sola cicada sono.

## V E S P E R

**S**OL ruit oceano, nec adhuc per membra soporem  
 Inducunt positis sydera grata malis.  
 Exsurgit campis Mater, natosque recensens  
 Accelerat iussos luce cadente pedes.  
 Villicus arma gerens humeris ruralia cantat,  
 Et capiti Damon grandia ligna refert.  
 Pastor oves, sparsas compellit arundine capras  
 Et pressum digitis lacque, serumque fluit;  
 Suspensisque iugis veniunt sine vomere tauri  
 Ac recipit nautas vallis aprica sinu.

NOX

## N O X

**P** Astor oves, sylvasque Micon, & Nauta procellas  
 Venatorque feras somniat ipse suas.  
 Tum stimulis agitatus amans per sydera surgit  
 Et peragat noras anxius excubias.  
 Limine sæpe dolet tota requiescere nocte  
 Et dolet exortam pervigilare diem.  
 Anchora tuta tenet vinctas ad littora puppes  
 Et comitata domum fera colona venit.  
 Retia piscator facibus scrutatur, & amnis  
 Jam vespertinis perstrepat alitibus.

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI  
 ITER AD CALVARIUM, ET CRUCIFIXIO.

## C A R M E N.

**A** Ligerum cætus sancti gens incola Cæli.  
 Tuque mihi in primis mundi quo cuncta moventur,  
 Cui mare, cui tellus, cæli cui sydera parent  
 Adspira, facilisque veni, nec pectus amico  
 Numine, nec pigeat vatem firmare paventem.  
 Nam mæsto instituo deducere carmina plectro  
 Supplicium & canere infandum, atque opprobria Christi.  
 Jam mora nulla datur, ferro sonat acta securis,

Et

Et solimi evellunt nutantia robora campo;  
Connectuntque trabes tristis præludia mortis.

Robora salvete, & salve crux aurea mundi.  
Adveniet tempus paucis volventibus annis  
Cum te posteritas divino æquabit honore  
Inventæque aras statuet, delubraque figet.

Hæc dū commemoro iam lux inimica propinquat.  
Virgineos nondum detexerat æquore vultus  
Vixque Aurora suis surgebat lutea bigis:  
Cum dedit infaustæ signum cava buccina lucis.

Stat magnum in conspectu tectum, limina cujus  
Marmoreumque solum fulvo conterminat auro:  
Paulatim erigitur centum sublime columnis  
Diffulgentque super nitidis fastigia conchis.  
Huc simul acciti proceres, armisque iuventus  
Fervida convenit, contemque expectat, & instat.  
Iamque trahebatur manibus post terga revinctis,  
Eterni soboles patris stipantibus armis.

Tu Pater omnipotens labentia corda dolore.  
Adflatu pervade tuo ut valeam contexere chartis  
Armaque, quadrupedesque virū, currusque sequentes.

Antevolant primum belli, qui signa cruenti  
Ære canunt, circum crepitantia deinde sequuntur  
Cornua & invisæ patribus fera timpana pugnæ.  
Bertilon arabicam præterdens corpore vestem  
Incedit primus, sequitur quem Lucidus Argon,



Argon quem fudit genetrix Iordanis ad undas.  
 Ardet apex longe gemmis, nitidisque smaragdīs,  
 Et rutilos umbo diffundit splendidus ignes  
 Sole repercusso, celeresque interfecat auras.

Pone subit Draco, qui venientes nocte profunda  
 Frænât equos, altamque gerit, scutumque triforme.

Nuper Iapigia solimas advenit in oras  
 Quem decus antiquum, magnique & gloria regni  
 Extollunt, hominum, contemptoremque Deorum.

Agmen agit peditum depromens tela faretris  
 Lucida, suspendensque humeris ardentibus arcum.

Dives opum Arabia & flagrantum dives odorum  
 Mittit equos totidem numero, ac ætate sequentes

Hos tenet extremos agmenque coercet in unum  
 Adrastus meritis, senio confectus, & annis.

Qui tamen ardentes præferet corpore vires,  
 Gaudet & hirsuta galea tegere ille capillos

Quam non perdocta cælaverat arte magister:

Illi sed tantum supra caput astitit anguis

Squammeus, horrendus, late qui guttura pandit,

Iurares vivum, desit ni sibilat ore.

Sic instructus equis, peditumque exercitus ibat.

Mania iam fessus, diramque reliquerat urbem

Tendebatque viam Christus loca diruta saxis.

Hunc circum flentes pueri, innuptæque puellæ

Instabant, matresque piæ; queis talia fatur.

Parcite: non lacrymis tempus, non fletibus usus  
 Debita quæ vobis pondent mala plurima flete .  
 Vix hæc cum sudore tremens, & vulnere tardus  
 Procubuit, gemuitque simul conterrita tellus.  
 Vidi ego dum cecidit quæstus effundere montes  
 Umbrosasque alpes lacrymis discurrere obortis.  
 Dura sed e contra steterunt corda inscia flecti  
 Et corpus pressere armis (miserabile visu).  
 Interea Clamore virum, sonituque tubarum  
 Percita convenit nati mæltissima Mater.  
 Hanc tristis comitatur amor, charitesque, pudorque  
 Et decor, & nigro quamvis velatus amictu.  
 Et veniens laniata sinus, discissa capillos  
 Tunsæ genas, oculos lacrymis suffusa nitentes  
 Ingentem tumido præfert ore dolorem.  
 Iesus ut aspexit pallentia lumina morte  
 Adstitit; atque immota oculis vultuque pependit  
 Suspirans tandem verbis effundit habenas.

O Nate Infelix, video te sicine Nate.  
 Quid sceleris Genetrix potuit committere tantum,  
 Ut tectum, atque mei tibi cura recederet omnis  
 Moliri potuisse rear num talia corde?  
 Aut potius solimos edoctos fallere gentes.  
 Sic vos officio immemores configere ligno,  
 Qui vobis tutum patefecit in æquore cursum  
 Audetis, divinque Patrem demergere letho.

Talia

Talia dicta dabat, voces sed faucibus ingens  
 Eripuit dolor & lacrymis frustrata refedit.  
 Illam percussæ Matres, timidæque puellæ  
 Exanimem accipiunt, atque in sua testâ reportant

Sed mihi labuntur toto de pectore vires  
 Et gelidus per membra fluit formidine sanguis.  
 Non procul hinc video tristem consurgere collem  
 Dignam ubi solvebant capti per crimina mortem.  
 Collis erar ramis niger, atque horrentibus ornis  
 Ferreus, immanis sanie, taboque fluente:  
 Truncis unde suis passim disiecta videres  
 Ora, manusque virum, & sparsis capita horrida dumis.  
 Vix loca conspexere omnes ad sydera lætas  
 Protinus extulerunt voces, plausumque dedere.  
 Non secus æquoreis iactati fluctibus altis  
 Si curvo tutum teneat dente Anchora portum  
 Insurgunt Nautæ, & clamoribus æthera complent.  
 Æger at ille via diffuso & sanguine fessus  
 Collem ascendebat. Mortis consistere tempus  
 Agnovit, traxitque Heros suspiria corde.

Cum volat ecce Parens cursu festina volucris  
 Et natum Natum revocans ter voce sonanti  
 Advenit collem; illam non prohibere furentem  
 Arma, aciesque virum. nec fortia pectora possunt.  
 Ut prope conspexit duram consurgere pinum,  
 Ut sensit funus nato crudele parari

Adstitit, & tristi conterrita palluit ore,  
 Diffusique suo riguere in vertice crines.  
 Mox tales incensa animo dedit ore querelas.  
 Quæ vestras agitat tantum dementia mentes  
 Infandumque scelus suadet detrudere ad umbras  
 Unigenam prolem superum, summique parentis  
 Reddere & immerito spoliatum lumine corpus.  
 Fulmina nigrantesque poli! non plura reliquit  
 Dicentem Briacus, cui magna est copia fandi.  
 Quid superum demens vires, & inania iactas  
 Murmura? quidve Jovis flammæ! terit otia cœlo.  
 Nunc nunc demissam Genetrix magnique parentis  
 Progeniem aspicias, magnos nunc ipsa triumphos  
 Ante fores templi, narrabis in urbe puellis;  
 Tunc fas & Natum, tunc tollite ad astra Parentem.  
 At vos Augusti proceres gens clara tropheis  
 Figite roboribus; cœlesti hæc munera nato  
 Mittimus hunc meritum tali decoramus honore  
 Præter & Augustum, divum non parcimus ulli.  
 His dictis Virgo cecidit, magis æstuat ardens  
 Corde dolor, pressusque magis furit impetus intus.  
 Talia dum loquitur trunco iam corpus adactum  
 Pulsatis magna extendunt vi brachia clavis.  
 Ingeminant campi, vallesque fragore propinquæ,  
 Et sylvæ resonant imæ, collesque supini.  
 Interea surgens fœdato Mater amictu

Corpora vix Nati pallentia morte futura  
Aspexit, gelidusque cruor per membra cucurrit.  
Hei mihi quo duxit vivendi temporis ætas  
Ut miserum aspicerem confossum robore natum  
Quem genui, lucique dedi, quem pectore fovi.  
Quis furor infelix vitalibus extulit auris,  
Aut quæ tanta fuit mortali insania mente,  
Ut te (Matris amor) tardæ mea cura senectæ  
Infensum raperet, niveis ceu matribus agnum.  
Non aliter primam poteras componere curam.  
Quæ metui ventura, eheu nunc præsentia cerno!  
Sic me delegit cælo pater omnibus unam  
Quam sol, lustraretque suo quam Lampade luna.  
Me felicem si vitam per te ipsa dedissem.  
Nunc te ast vana loquor! miseræ quid restat agendum  
Vivis adhuc Genetrix extincto in funere nato!  
Amplius aud vivam? vos vos me figite ligno!  
Isacides, natiq; mei sociate sepulchro.  
Aut melius vivam, & tanto superesse dolori  
Glorier, atque tuo superesse in funere Mater  
Indoleamque tibi trunco subnixa vetusto;  
Nec lacrymis mandata Patris nec iussâ refellam.  
Tunc Jesus caput, ac veluti sopor altus haberet  
Admovit, circumque tulit sua lumina, & inquit.  
Iam satis o Genetrix mortales ausimus auras:  
Iam satis unanimes felices duximus annos

Res felix si qua ulla viget mortalibus ægris .  
 Ne mea quæ cernis tantum te funera tangant  
 Sic hominum, divumque Pater sic imperat axe.  
 Forte sodalis erat casus spectator acerbi,  
 Quem Deus aditantem ut ligno conspexit ab alto.  
 Talibus aggreditur dictis. Constantior omni  
 Ioannes noitros miserans casusque, doloresque.  
 Adprecor hoc unum, miseram ne desere Matrem  
 Mater erit tua. tu caram solare parentem.  
 His dictis gemuere suis custodibus arces;  
 Atque novo Mulier nato comitata recessit  
 Ambas protendens palmas ad sidera cæli  
 Ut tantos tandem curarum temperet æstus.

Supplicia interea gemini qui digna luebant  
 Certabant variis se inter contraria dictis.  
 Alter erat stimulis, furiisque agitatus averni.  
 En qui ausit populos, terrasque, urbesque minari,  
 Contempnitque iras, Iudææque propaginis arma?  
 En qui iactavit terni post lumina solis,  
 Et cum nox totidem tacitis nigresceret umbris  
 Accepturum iterum mortalis munia vitæ.  
 Erige si potis es pedibus, pete sydera liber.  
 Alter cui melior residet sententia cordi.  
 Cur demens dictis infontem illudere pergis.  
 Hunc cælo nostros miserans Deus ipse labores  
 Addidit, ut crimen moriens commune piaret.

Cui

Cui Deus hæc. Capiet læti te Regia cæli.  
 Vix ea cum tristi fugiit color omnis ab ore,  
 Cæpit & exanimis toto pallefcere vultu,  
 Conversusque oculos ad celsa cacumina Montis  
 Oravit limphis, tanto ut discrimine adessent.  
 Solamen Misereum solimi tamen inde negarunt,  
 Sed properare student medicato pocula felle.  
 Iam caput inclinans summo vix attigit ore;  
 Lumina dein cælo tollens sic ore profatur.  
 Quæ postrema fero læto Pater annue vultu.  
 Corpore si vires, nunquam mens ipsa deerit;  
 Hoc tamen exoro si quid mea funera possunt  
 Tolle iras Genitor, longæque repelle furores.

Jam medium, atque ultra phebæ conscenderat orbem  
 Cum cælum cinxere atra caligine nimbi.  
 Æquore iam gravidæ prorumpere ad æthera nubes  
 Incipiunt, totamque umbris contexere terram.  
 Fulminibus micuere poli, cælum omne remugit,  
 Et tellus tremefacta sinus, latebrasque resolvit.

Jam nutare vides tanto sub turbine Turres  
 Et ruitura solo curvis monumenta columnis.  
 Scinditur in partes templi Cortina supremi.  
 Tunc tristes umbræ pallentes ire per auras  
 Sunt visæ, & fligio deformia monstra Barathro.  
 Obstupuere omnes tardus metus occupat artus.  
 Tum sese incusantes, & peccasse fatentes

Hinc miseræ matres pueri, iuvenesque, senesque  
Ordine demissi cuncti sacra templa petebant  
Necquiquam, arasque super pia Turra cremabant.  
Mætus at Hesperio Titan properabat olympo.  
Cum Deus affatur. Genitor me ficcine linquis  
Siccine me linquis Genitor? nec plura locutus.  
Ah quoties animi sensus expromere nutu  
Conatur, quoties oculis est ipse locutus.  
Tandem prorumpens media inter talia dictis  
On ipotens tremulum ligno caput extulit alto.  
Omnia quæ tulimus quæque & postrema libenter  
Accipe summe Pater, si pauca tuli adde ferenda;  
Non mihi mens, animusque deest sin corpore vires.  
Cum subito nigris revolans mors horrida pennis  
Aditit, & sancto dissolvit corpore vitam.







## LIBER SECUNDUS.

IN DIE NATALITIO.

### ELEGIA I.

**N**on ego Natalis dum splendet Lucifer axe  
 Exuram patriis tura sabæa focis;  
 Votaque concipiam sacros aditura penates,  
 Nec de more aris florea ferta dabo.  
 Non ego dum meus exoritur Natalis in orbe  
 Præcingam lætis tempora bina rosis;  
 Aurea nec vestis solemnes induet aris,  
 Nec procul assirio stiller odore coma;  
 Dona que lætitiæ numeroſo carmina plectro,  
 Nec promant ficulis vina relata iugis

D 3

Ter-

Tertia lux sine honore fluat sine nomine Martis  
 Quæ mihi nascenti præbuit ante diem.  
 Fulmina dent signum, tenebrosus, & ingruat error,  
 Morsque cavernosis exeat atra locis.  
 Illa dies pereat, quæ me demisit in auras  
 Mater; & oh nunquam panderet illa fores.  
 O felix si extrema mihi lux prima fuisset,  
 Natalemque meum clauderet urna diem.  
 Nunc mala me miserū retinent quæ cuncta verebar,  
 Et fitis & lacrimæ cunque dolore fames.  
 Nec tantum horresco lucem, quam crimina vitæ  
 Quæ maiora mihi dant metuenda styge.

## DE VITA, ET MORTE N.N.

## ELEGIA II.

**B**lozze licet iaceas stigiis leve nomen in umbris,  
 Fama nec obscuris ulla nitescat avis;  
 Attamen ipse canam. Casus referamus amici  
 Digna quidem nostri carminis Historia.  
 Hic ubi Atestinis surgit Ferraria muris,  
 Qua pater undisono defluit amne Padus.  
 Blozzus erat genitore rudi cum paupere matre,  
 Queis fons divitias, sylva, nemusque dabat.

Lectus erat frondes, & poma cydonia fructus  
Totus in aëde ignis fissile robur erat.  
Antra domus, victusque omnis cum lacte polenta,  
Amphora & argillæ sufficiebat aquas.  
Hic tamen ingenti laudis percussus amore  
(Nam sua ruricolæ gloria, fama movet)  
Tecta, laresque sacros potuit, vultusque parentum  
Linquere, & ignotas quarere in orbe vias;  
Quem lacrimæ miseræ, quem non pia verba precantū,  
Flectere & extremæ non valere preces.  
Hinc aberat: iam fausti implebant carbasa venti  
Cum sterit Hibernis nox inopina vadis.  
Contegitur subito densa caligine cælum,  
Raucaque cum querulo murmurat unda sono.  
Jamque euris strident, strident aquilone rudentes  
Nec spes ulla fugæ, nulla salutis erat.  
In scopulos furit unda trahens per saxa carinam,  
Quæ præceps medio mergitur oceano.  
Jamque salo superante advenit littora Blozzus  
Vicina pallens morte supinus erat:  
Cum repetens notas Liparis piscator arenas  
Multa super misero tristia verba dedit;  
Natorumque memor, ponti quos perdidit unda  
Ad patrios iuvenem detulit ipse lares.  
Mira fero. vix pronum evoluit Navita Blozzum  
Evomit æquoreos naufragus ore lacus.

Tunc pavidus novitate loci perquirere lucem  
 Incipit, & voces fingere lingua nequit.  
 Hinc circum cistas, suspensis linthea nassis  
 Pendula per remos retia rara videt;  
 Et mirum pietate senem prope strata sedentem  
 Qui lacrimans superis plurima vota facit.  
 Quantum erat aut captare feras, vel arundine pisces,  
 Contentus patrio vertere rura bove:  
 Antraque sylvarum, nigroque mapalia fumo  
 Excolere, & vili sternere membra toro.  
 Illic verus amor vivit, probitasque, pudorque,  
 Qui procul urbanis exulat ille viis.  
 Nam gratis residet mensis conviva paratis  
 Dum ludit parvo Nautica turba foco.  
 Felix si remo, et cymba contentus abiret  
 Temneret armatos mensque animosa viros.  
 Nec cuperet rubeis qua sol caput exerit undis  
 Quave fatigatis frena remittit equis;  
 Et mare Iasonis, Medæ & findere regna  
 Ut ferat Hesoniden lucida terga donum:  
 Extremosque viros peregrina puppe Britannos  
 Quærere, & arabico vel dare lina mari;  
 Aut quo Mentivagus penetravit Nauta Columbus  
 Ausus in ignoto carbasa ferre sinu;  
 Herculeosque videre sinus quos sprevit Uliſſes  
 Non lestrigoniis captus ab insidiis.

Iam belli victor patrias properabat ad oras,  
Matris ut aspectu perfrueretur ovans.  
Cum subito pallent obsessi febribus artus,  
Ardenti & languet dum gemit ora fiti.  
O fatum crudele! mali ipso in limine, luce  
Illa qua prima cessit, & occubuit.  
Proh superum! cæli non nescia sydera testor  
Tuque Echo lacrimis conscia perpetuis.  
Non sic Germanæ extinctum Fætonta vocarunt  
Nec tantum ad manes Orpheus Euridicem  
Quam gnati Genetrix audito funere fesse  
Dicitur assiduis tota fluens lacrimis.  
Heu gnate infelix genetrix clamabat ad undas?  
Heu Gnate infelix debita ad inferias  
Quis tibi persolvat, quis verba suprema loquetur  
Nullus enim gemitu mæsta sepulchra riger.  
Nullus enim manes patulo ciet ore sepultos;  
Componetque ambas nec tibi rite manus.  
Naufragus infelix media versaris in unda,  
Inter & infelix cærule monstra natas.  
Dii Maris aud possum tanto superesse dolori  
Et Matrem mediis fluctibus æquior habe!  
Me padus æquoreas facilis deduce: ad undas  
Ut simul unanimes contumulemur aquis:  
Siccine te videam! mihi sic connubia dices!  
Heu quæ, sed rapidi verba tulere noti.

Quæ

Quæ non adventu servavi pectore verba,  
Servat amanti ut Virgo pudica suo.  
Quem cernens retinere die, retinere tenebris;  
Nescit et optato pascier alloquio.  
Pœna minus mihi dura foret, mihi funus acerbum  
Pugnantes inter te occubuisse manus.  
Tela mihi et dira armatæ cum cuspide dextræ  
Agmina tunc iusti causa timoris erant.  
Has genetrix, aliasque suo dabat ore querelas  
Iritis tundens pectus, et ora modis.  
Nos tamen interea tumulum ponemus & umbram  
Solamen miseræ dum sua fata sinunt;  
Et lacrimis potius, ferro quam sculpta legentur  
Hæc conscripta tuis carmina funeribus.  
Hic Blozzus iacet elapsus per tela, per undas,  
Qui repetens patriæ limina dispersit.  
Vive memor nostri, umbræ si mortalia curant,  
Si te nulla mei tangere cura potest;  
Huc gressus converte tuos, nec despice nostra.  
Quæ tibi de vita carmina condidimus.  
Sic tibi Nereides, faustum sit Numen aquarum  
Nec stigos erret mors inhonora lacus.

## INVITATIO SODALIS AD AURIS DELICIAS

## ELEGIA III.

**T**U vacua solus Gibertus in urbe moraris,  
 Rura virum quamvis turba verenda colat.  
 Mæstities unde infelix quæ lumina tantum  
 Sollicitans tristes exprimit in lacrimas.  
 Rura senes, iuvenesque petunt, atque urbe relicta  
 Læta puellaris cessit in arva decor.  
 Ipsa petunt pueri, duri quos cura magistri  
 Palladis invitos limine detinuit.  
 Jamque forum, litesque silent, patrumque senatus,  
 Turpis & in foribus occupat æra situs;  
 Nec campana sonans sub prima crepuscula lucis  
 Mollia cum thalamis linquere strata monet.  
 Quare age sepositas paulisper defere curas,  
 Denique te tantis eripe amice malis.  
 Non auri ingluvies, non hic malefana cupido,  
 Sed cum pace pudor, rusticitasque nitet:  
 Et metus, & livor, linguæ convicia defunt,  
 Nullaque cum tectis rixa cruenta sonat.  
 Hic ficcis cernes contexta mapalia cannis  
 Hic mihi furca rudem sustinet arte domum  
 Nullus honor, luxus, non ambitiosa supellex,  
 Sed positus foliis hic sine forde thorus.

Nam

Nam fons profiliens præbet sitientibus undas,  
 Agricolisque suis præbet agellus opes.  
 De grege iam bene pastus ovis componit agrestes.  
 Lac niveum mensas, & bona cuncta merum.  
 Felices nimium, fortunatique coloni  
 Lætor ego vestros incola adire lares.  
 Pascere monte pecus, sive e præsepibus altis  
 Primus araturos ducere ad arva boves;  
 Et stivæ rector fortes compellere tauros  
 Signantes certis iugera limitibus:  
 Vespere & agrestes celebrare ad pocula lusus  
 Dum sonat argutos tibia pulsa modos;  
 Vel Cereri festiva canens festiva Dianæ  
 Ponere sacratis munera parva Deis.  
 Sint pingues Hædi, teneri sint matribus agni,  
 Plurima sint foribus ferta gerenda suis.  
 Carmen ego, & dulces doceam componere versus  
 Inter quos durum cantet arator opus  
 Atque iterum discant resonare Amarillida sylvæ  
 Quæ procul externis hospita degit agris.  
 Vel potius pastor fætus curare, pecusque,  
 Atque album intonsæ carpere vellus ovi;  
 Et quandoque sedens circum muictralia lactis  
 Vescendos dominis fingere caseoles.  
 Illis enim docuit mammas constringere capræ,  
 Expressere & certis lacque serumque modis;

Mane



Mane novo pingui miscere coagula lacti,  
 Subdere dein posito cana colostrâ foco;  
 Quin vigilare dedit donec confurgat ahæno  
 Caseus a celeri structus in orbe manu.  
 Mi sat erit festo patula recubare sub umbra,  
 Dum mihi scuros præbeat herba toros:  
 Arcus unde queam placida laxare quiete,  
 Aura levis donec flumine crispet aquas;  
 Et pinus, quercusque movens superimpedentes  
 Dulce iterent volucres sole micante modos.  
 Quærat opes alius magnos sibi quærat honores  
 Auriferus quidquid perfluo Nauta mari,  
 Pancheoque solo, persis seu portat ab oris  
 Quæque Ermus mittit, quæque remotus Arabs.  
 Non ego cur tantas Federicus in arma cohortes  
 Iungeret, aut tantos sterneret ille viros  
 Scire petam; seu quid fuscis meditentur ad indos  
 Nota triumphatis Gallica regna plagis  
 Stet procul hinc quicumque potest discedere ab urbe  
 Comparet innumeras ut sibi divitias:  
 Cui nec cara domus, patrii nec cura colendi  
 Est agri, aut sancti gaudia coniugii;  
 Cui fera bella placent, audaci & funera ferro  
 Atque sequi armatos sub sua signa duces.  
 Ast ego, cui dulces spirat Dea Cypria flammâs  
 Arva colam, a domina nec procul unguis erit.

Arva mihi satis, & dulci cum coniuge rura  
 Hæc vitæ durent tempus in omne meum:  
 Namque animos iunxit tali concordia vinclo  
 Ut sine te vitæ sint bona nulla meæ.  
 Divitiis fluat ille novis qui spernere campos,  
 Et sine iucundus vivere amore potest.  
 Te quem summa tenet rerum, neu gaudia differ,  
 Fac cito curarum quidquid in urbe sinas.  
 Eridani ad patrios liceat migrare recessus  
 Lætus amicorum te manet unde chorus.  
 Cuius in adventum flammis domus undique splendet,  
 Currit & effusis obvia turba comis;  
 Componitque thorum foliis plumaque loquaci,  
 Candida & in summo te locat Egla solo;  
 Venatasque feras, volucres quos esca fefellit  
 Atque parat nitidis dulcia mella favis.  
 Parva culina dabit distentam ex ære polentam  
 Undique quam circum salsa suilla teget;  
 Et turdos, merulosque, nec inde moraberis Hædos;  
 Excoquet & butyro nostra patella iecur:  
 Et citrus mensis, & erit sua cærulea limon,  
 Temperet illa dapes, augeat ista sales.  
 Denique poma forent, & erit selecta canistris  
 Uva rubens, & erunt multa recocta focis.  
 Haud dubita famulus semper geret ipse falernum  
 Acræ seu placeant, dulcia sive iuvent.

Quæ mihi donavit parvo bene vulta sub horto  
 Vineæ, quæ servat testa paterna tibi.  
 Atque super mensas vultus spectabis amicos  
 Verus ubi puro lumine splendet amor.  
 Fertilibus ne quære dapes, neu quære sapes  
 Angliæ quos mittit, quosque Britannus amat.  
 Si mavis poteris convivia ducere luco,  
 Ramis unde procul roscida poma micant:  
 Vel si piscandi delectat cura, vel altos  
 Claudere si saltus obsidione voles  
 Retia prompta tibi; cupido nec fida deerit  
 Turba canum, vel te per mare cymba vehet.  
 Si placet herbofo solus spariaberis Horto  
 Non rubor hic nudo luce sedere solo.  
 Herba dabit talamum; & iucunda sedilia pratum  
 Hospitiumque suis arbor amica comis.  
 Hinc venit ut fluvii urnas intingat ahænas  
 Candida Egætidæ, seu nigra fillirides.  
 Altera inornato quamvis procedat amictu,  
 Altera nec culto prodeat apta sinu;  
 Quam sint formosæ exiguo de colle videbis  
 Mollia cum patrio flumine lina lavant.  
 Deliciis igitur ruris vadimonia linque  
 Turba virum longas ridet in urbe moras.  
 Causa patet cunctis, nec enim sunt condita amoris  
 Undique tela gravis, queis miser obrueris;

Nec,

Nec mala suspicio infidam nam velle puellam,  
 Credis & alterius posse gravare latus.  
 Ergo veni. casto si te delexit amore .  
 Lydia crede tuum casta sequetur iter.

LAUDES VITÆ PAUPERIS, ET DEPRECATIO  
 AD SUPEROS.

E L E G I A IV.

**F**ormosi colles, pindi viridissima Tempe,  
 Antraque pieriis cognita Virginibus:  
 Lauricomæ frondes, crines dum fata manebant;  
 Et vos pegaseo flumina nata pede.  
 Quid mecum vultis? magnos perquirite vates,  
 Oraque gorgoneis ora rigate modis.  
 Adsit tantum Ninphæ in mea vota vocatæ  
 Et Pan arcadicis Numina sancta iugis.  
 Sibila det digitis dum quæro foramen avenæ  
 Quæ mihi disparibus crescit arundinibus.  
 Non ego ab Hæmonio quercus descendere monte  
 Persephone rapere aut coniugis ora peto:  
 Semper ut indoleam solis novus Orpheus oris  
 Dum videt inferni munera vana Dei.  
 Euridicen lugenda iterum, nec coniuge caro  
 Amplius ab fractam conspicienda fidem.

Non

Non ego Turcarum, subversaue pergama Ruffis  
Velivolafque novas per freta nigra rates ;  
Non fera bella canam, non me pergrande poete  
Nomen, nec famæ cultus inanis habet.  
Nec minus ambitio, nec marmore tecta morantur,  
Armaque fculpta fuis invidiofa notis.  
Lætus enim pecori vivo, contentus & agro  
Flaviferaque Dea, Lanigeroque grege.  
Hic modo paftorum ftudeo refonare cicitas.  
Dum revoco faturas vefpere paftor oves.  
Et iuvat interdum campi fubvertere glebas  
Pomaque villofo five referre finu :  
Et modo flaventes componere in ordine fpicas  
Et modo de prælis promere muftra fuis.  
Pulvere fordenti rigeant mihi vertice crines  
Bracchia cum vultu fole perufta geram.  
Hæc mihi fit vita, incultos mea vita per agros  
Sic fuit, & prifcis vivere cura viris.  
Villicus, & paftor, faveat mihi dexter Apollo  
Amphrifi duxti tu quoque paftor oves.  
Dumodo fit laribus tenuis mihi culta fupellex  
Sit fine lite torus, fit fine forde toga.  
Pauper ego: parvo niteat mea menfa falino  
Serpillique meas condiat herba dapes  
Firma valetudo, firmæ nec corpore vires  
Nec vacuo defint otia grata metu.

Sat mihi pura domus, ferventes arceat ætus,  
 Imbribus & madidis, me tegat illa nive.  
 Ante focum si frigus erit, si messis in umbra  
 Evertam patrio pocula plena mero.  
 Sic iuvat hibernas, æstivas fallere noctes  
 Sic iuvat & multo proluere ora Deo.  
 Hinc agitare velim Nymphis inglorius ævum,  
 Silenique senis concelebrare dapes,  
 Et lusus satirorum, Naiadumque choreas  
 Panaque sectantem per nemora alta Deas.  
 Me piget & causas quondam tractasse Clientum  
 Justinii varios vel didicisse modos:  
 Nam labor, & tantum superest mihi turpis egestas  
 Non sum mentita doctus in arte fori  
 Perque Jovem durum indoctum genus hocce laborū  
 Natum in perniciem per mala cuncta genus  
 Quid loquor in patrem non hæc convicia scribo  
 Nam Sophiæ, & Themidi carus utrique fuit  
 Jovit & arcanas naturæ quærere causas  
 Et monumenta ævi dogmata sive virum.  
 Carmina quin lusit dulci condigna Petrarchæ,  
 Cinxit & intonsis laurea ferta comis.  
 Justa precor superi, si non sum rite precatus  
 Me premat, & subito claudat hiatus humi.  
 Indulgete Virum, nostras qui Numine musas  
 firmet & hinc domui consulat ille meæ.

Tunc

Tunc ego magnanimi sanctum trans æquora nomen  
 Atque Apennini trans iuga summa feram.  
 Et procul a tumulo protendet aranea casses,  
 Nec celeri nectet stamina longa pede.  
 Heroas quondam gracilis cantavit avena,  
 Et dignata suo consule sylva fuit.  
 Qui lætas segetes, sæcundaque iugera Baccho  
 Primaque & incultis mela reperta favis  
 Mox tulit Eneam profugum, Lavinaque regna,  
 Funereasque tuas o Himenæe faces.

DE VITA POETÆ,  
 DE PUERITIA EJUSDEM.

## ELEGIA V.

**N**on molles Veneris celebrat mea Musa choreas  
 Illa nec inferni regna timenda Dei;  
 Nec minus arma virum, fervet quibus itala tellus,  
 Non sunt hæc modicis viribus apta meis.  
 Musa puellorum lusus, & gaudia cantat,  
 Arguat & nostros dura senecta iocos.  
 Has ego fabellas (nemini) narrare solebat,  
 Dum refovet Nutrix membra tenella sinu.  
 Sæpe etenim sopita manu dum pensa fluebant,  
 Et tremit incerta sera lucerna face.

Narrabat vetulas, Orcos & adesse trifauces  
 Longa quibus mento sordida barba riger;  
 Crura sonant ferro, complent stridoribus ædes,  
 Et ciet immanes quilibet ore lupos,  
 Ut cunis rapiant pueros, ut guttura pandant,  
 Et tenera Hostili corpora dente vorent.  
 Garrula turba senes nigro damnanda sub orco  
 O fatui semper garrulitate senes?  
 Nam teneras fallunt turpi fantasmate mentes  
 Excutiturque novo machina tota metu.  
 Vidi ego per mediam simulacra abeuntia noctem,  
 Et fuit aspectu mens timefacta suo.  
 Quare ego Nutricis metuens sub veste latebam  
 Abstergens lacrimas anxius ipse meas;  
 Patris, & amplexus, quærebam Matris & ora,  
 Tendebamque ambas cum pietate manus;  
 Et pingues Hædos distenti viscera porci  
 Ponebam patrios credulus ante focos.  
 Tum mihi vel binas surreptas arce columbas,  
 Perlita & Hibleis crustula multa favis;  
 Vel cerasos, croceis mixtum & melimela placentis  
 Dicebant nigra monstra referre manu;  
 Cum novus annus adest, Jani venere Kalendæ  
 Cum fremit iratis sylvæ, nemusque notis.  
 Flos tener in calathis lenibat sæpe timorem  
 Atque damasceni dulcia pruna soli



Seu nido sublata suo Filomela vel ales,  
Cui nectunt teneros linea vincla pedes.  
Cum pueris mihi lusus erat, mixtusque puellis  
Gaudebam positas concelebrare dapes;  
Aut tenera tractare manu, seu voce catellos  
Invectusque altis currere sive rotis.  
Omnibus unus eram, ridebat gratia vultu.  
Vestis & a docta picta fluebat acu.  
Verricem comptuseram, crines plumisque tremebant  
Assiriis gratus quos rigat humor aquis.  
Irrita tunc vasto Nutrix dedit omina ponto  
Me domus, & patriæ me decus esse meæ.  
Nam mitra fulvos velabam sæpe capillos,  
Urebamque sacris grana sabea focis.  
Nunc bellator eram, longa nunc veste Sacerdos  
Et Chlamis, & ferrum fronde racemus erat.  
Felix quæ ventura mihi si vera fuissent,  
Votaque nec surdi perderet unda maris.  
Non modo flens vigilis traxissem tempora noctis,  
Nec mihi iam tristis surgeret axe dies;  
Plura nec orrerem quæ cingunt undique bella  
Nec posita in nostra signa eruenta domo.  
Non ego sum tanti valeam concurrere iu hostes  
Non ea parta mihi funere præda placet.  
Hæc quærant alii, nostræ solatia vitæ  
Maxima semper erunt carmina Pierides.

## DE EJUSDEM ADOLESCENTIA.

## E L E G I A VI.

**N**unc decet exornare novis Heliconæ Corollis  
 Nunc decet insolitas fumere fontis aquas.  
 Scilicet & sævo circum fremat undique bello,  
 Et gemat externis ausona terra viris.  
 Ausonia infelix Terræ Regina, marisque,  
 Provida cui tantum fata dedere decus:  
 Tu nunc mæsta sedes longis discissa capillis,  
 Et resonat misero dura catena pede.  
 Parvus eram, & nondum prima lanugine malæ  
 Florebant, nondum nec mihi vere genæ.  
 Illa ego tum petii puerorum ætate lycæum  
 Alto ubi confurgit Præsbiter in folio.  
 Quam ferus aspectus, torvi quam lumina vultus  
 Qui timor in nostro pectore semper erat;  
 Dum pressam tremulo signabam pollice chartam  
 Submisso referens verba notata sono.  
 Heu quoties mihi dextra scidit malefana capillos  
 Ivit & extrema fusus ab aure cruor.  
 Conveni tandem studiis qua operata Minervæ  
 Exercet latios læta iuventa modos;  
 Et Ciceronis opus, referat penetrabile Maronis  
 Factaque in extremo carmina mæsta solo.

Hic

Hic didici casus primum infelicis Elisæ,  
Et flevi structas tristi in amore pyras.  
Sortem sæpe tuam Naso miseratus acerbam  
Aspera in Augustum verba, minasque dedi.  
Felicis animæ, fortunatique puelli  
Quos non blanditiis fœmina compta capit.  
Non vobis studium ignotas perquirere terras;  
Non qua nulla novum circumat Urbs polum.  
Non Merces vobis, non parva pecunia Messe  
Non spes, non lucrum, non vitiatum ager.  
Vos nemora, & dulci labentia flumina cursu.  
Cultaque felici rura labore manent.  
Unde iuvat saltu, forti certare palestra,  
Et capite inverso vertere ad astra pedes.  
Nunc sublimis equo celeri contendere cursu,  
Et dare diffusis fræna remissa iubis,  
Aut lepores dumis implexa per arva vagantes  
Luce sequi aut sævas figere nocte feras.  
Quin placuit nigros canibus præcingere saltus,  
Quos teneros patiens cura docere fuit.  
Hæc quondam placuere, aliæ nunc pectora curæ  
Excercent, alios cogor adire iocos.  
Urit amor sævitque imis mea plaga medullis,  
Nunc epulæ, mæsto nec sopor ullus adest.  
Jam tristes anni, mihi tempora dura parantur  
Jam Venus est nostræ causa futura necis.

Illa fuit cuius decus oris, gratia cuius  
 Fixa erit, solido sculptus ut ære Deus:  
 Quæ nostri postquam cordis Regina resedit  
 Et studii, & patriæ dulcis amor periit;  
 Atque iuventutis perierunt gaudia primæ  
 Quæ Musæ & Fæbi dulcis alebat honor.  
 Tum maria & populos lustravi mæstus, & urbes  
 Mutuus ut longe tantus abesset amor.  
 Crevit amor mecum, mecum crevere calores  
 Vivet ad extremos ignis & usque rogos.

## DE EJUSDEM JUVENTUTE

## ELEGIA VII.

**S**alve pars melior vitæ formosa iuventus  
 Felici unde fluunt omina facta pede.  
 Salve læta viris ætas, iucunda puellis  
 O vitæ cunctis anteferenda bonis.  
 Quid tecum certare potest! non luce piropus  
 Nec quidquid rubro nascitur in pelago.  
 Nam quid divitiæ, medicataque lana veneno  
 Et posita attalicas stragula picta locis:  
 Alcionique nemus, vel consitus hortus in æde  
 Quid maris, & terræ regna superba iuvant.

Si non pulchra genis, si non nitet ore iuventus  
Optatisque negant Numina posse frui.

Atque ego cui nondum veris mea tempora florent  
Pauper ero: ante omnes dives amore senes.

Evventura mari cognoscit Navita ventis  
Arctofilax Hiemes, nuntiat auster aquas.

Herba nocens messes, exiles pampinus uvas  
Arguit, & tenuem gramina adusta gregem.

Mars furit, & fervet iuvenili in corpore sanguis  
Ullus & in nostro nec sedet ore pavor.

Mars agitat mentem; subeundaque prælia monstrat  
Sterne & adversos forte favente viros.

Hic ostendit ovans victis capitolia gallis  
Et spolia, & tumulos magna trophea tibi.

Ast ego non linquam caros periurus amores  
Nec mihi sunt tanti gloria, regna, duces.

Quis furor armato concurrere cominus ense:  
Non ne satis rapido mors venit atra pede?

Quis furor est sævos deffendere funere...  
Uxorem & natos perdere velle suos.

Dic mihi cum stragis cumulaveris asper acervos  
Cum dederis diræ corpora multa neci,

Quæ referes tandem tantarum præmia rerum!  
Nempe peregrino cæsus obibis agro:

Neve erit inferias lacrimis qui curet abortis,  
Neve sacra exanimis contumuleris humo.

Quin

Quin victus, victorque pede immemor usque salutis  
 Te premet infano sanguinolentus equo.  
 Quam laribus melius longam consumere vitam  
 Quam Veneris melius dulcia signa sequi.  
 Conscendit Miles Vallum circumdatus armis  
 Pugnat & instantes provocat arte manus.  
 Humentesque Hiades patitur, nivibusque procellas  
 Atque pererratis currit in urbe viis;  
 Et vigil insomnes luces perducit, & umbras  
 Dum circum longis volvitur excubiis.  
 Nos quoque ferre imbres, iratæ frigora noctis  
 Nos servare procis limina cara decet.  
 Nec somnos largitur amor sub nocte silenti  
 Sed iubet ad furdas pervigilare fores.  
 Sancta Venus tua si colui sacra Numina semper  
 Indixique aris munera pura tuis:  
 Fac patria ut reliquos conducens dulciter annos  
 Quod superest lætus carmine tempus agam:  
 Hinc celebrem fontes Ninfas & fontibus ortas  
 Et te sancta Pales teque Diana canam.  
 Fistula sat mihi silvestres ferat illa triumphos  
 Saltet & ad raucos sima capella modos  
 Carminibus Fillis sed tu cantabere nostris  
 Obruet & laudes nulla vetusta dies.  
 Te quocumque petes fidus te prosequar usque  
 Seu pedes, aut nitidis sive veheris equis.

Tu

Tu mihi nupta domi campos septembre revifes  
Venatrixque feras, follicitabis aves:  
Sive colonarum puras imitaberis artes;  
Canabis scamno fictilibusque bibes;  
Cymbala nunc feries repetens Coridonis amores  
Perducesque agiles post sine lege pedes.  
Pervolitent fusi per lactea colla capilli  
Nuda manus, tenuis pes quoque nudus erit.  
Non labor aureolos gemmis hic neſtere crines,  
Atque sine aurata veste decora fores.  
Felix qui longe vitam traducit ab urbe,  
Cui præbent molles gramina lecta toros.  
Ille racemiferis habitat fat dives in agris  
Ad ſtrepitus gelidæ ſubſalientis aquæ.  
Cum iubet alma Ceres ſparſos ligat ille maniplos  
Atque iubente Dea gramina falce ſecat.  
Nunc legit arbuteis beneolentia poma racemis  
Et nucibus plenum gaudet habere ſinum;  
Et quandoque uvas pleno cum corbe referre  
Gaudet, & inſolitum colla fatigat onus.  
Hic cum veſper adeſt inopes ſubit ille penates,  
Cuius in amplexus nupta puella venit.  
Mensa nitet, ſpumatque bono iam crater Iaccho,  
Et faciles epulas uxor amica gerir.  
Veſcuntur nati cum coniuge veſcitur uxor  
Hic herus & famulus quiſque miniſtrat olus

Seu

Seu bene pastus anas, pulli convivia complent,  
 Palladis atque liquor condit, & omne piper.  
 Denique sublatis breviter iam foemina mensis  
 Protrahit incepta mollia pensa colo:  
 Et tandem ad thalamos properat contenta pudicos  
 Semper ubi primus conciliatur amor.  
 Felices gentes, cælesti sorte beatas,  
 Quis donant similes Numina nere dies;  
 Arma iuvant alios, grati nos otia ruris,  
 Semper & intextæ fila canora liræ.

## DE EJUSDEM VIRILITATE.

## ELEGIA VIII.

**S**Umite nunc firmas mea carmina sumite vires  
 Non debet facili currere versus equo:  
 Pegasidesque alios fas est aurire liquores  
 Et capere aonia ferta novata lira.  
 Ætas quarta virum; sileat Fortuna, Venusque  
 Utraque quæ nimium torfit amara pede.  
 Jam gravis ore licet, tardo procedere gressu.  
 Cultus & elloquio verba diserta loqui.  
 Et si egomet ventura canam non sidera quæram,  
 Neve quid infesto culmine cantet avis.

Nam



Nam postquam matura virum me fecerit ætas  
Dulce erit in parva consenuisse casa,  
Quam pater excoluit, proavi coluere vetusti  
Primaque natales quæ tulit ipsa meos.  
Jam tum me castis complexibus uxor habebit,  
Non erit infanis nox vigilanda iocis.  
Ante focum natis circum stipabor, & ipsi  
Pendebunt collo sarcina grata meo.  
Sit mihi nupta domi tereti quæ sedula fuso,  
Et gemino lanæ pollice ducat opus.  
Pectine percurrat telas, modo licia nectat,  
Comparet & fesso sole calente dapes.  
Non sit gemma illi, legitur quæ proxima ponto;  
Serica non vestis contegat ulla sinum,  
Culta nec Assirio crinis diffundat odore,  
Sed niteant pura simplicitate comæ.  
Illa nec in cupidos flammantia lumina vertat  
Excipiens tremulos callida in aure sonos;  
Nec moveat lasciva pedes, sedeatque theatris,  
Nec cubet in vacuo nocte relicta toro.  
Nubere si talem contingat in orbe puellam  
Quales non multas tempora dura ferunt.  
Compita quæ fugiat, lacrimas nec curet amantum  
Lata nec ad clausas humida ferta fores.  
Cui sit mundities cordi, sine lege capilli  
Cui pudor assistat, cui veneranda fides;

Con-

Coniugio contenta suo, contenta marito  
 Perveniat feros uxor ad usque dies.  
 Credam equidem superis cælestem vivere vitam,  
 Libera vel magni sceptrâ tenere Jovis.  
 Ignoret Mulier libros, primordia Mundi  
 Quæ nova londinis navita veſtat aquis:  
 Carmina & ignorat teneris descripta libellis,  
 In quibus ante alias Laura puella micat.  
 Nec sciat obscenas per muta silentia tædas  
 Quæque sophocleo somnia vana pede.  
 Illa Deos colat & teneros educere natos,  
 Nec pudeat pueris templa subire suis.  
 Palladias artes, maternaque stammina pensis  
 Atque acus & fusi filia discat opus.  
 Litterulas quandoque sacras pater ipse docebit  
 Nobilium repetens facta vetusta virum.  
 Si mihi si tandem vultu fortuna sereno  
 Det desideriiis pandere vela meis  
 Exiguum ut parvo ducam cum limite campum  
 Qua foecundus aquis diffluit amne Padus  
 Candida rura colam, contempta semper & urbe  
 Excipiant puro candida rura sinu.  
 Pauper enim superos casta cum mente requirit,  
 Pauper amicitias Religionem colit:  
 Nullaque lucraturus opes periuria fundit,  
 Ut trahat ignaros in sua vota viros

Nec

Nec pudeat limpham vicino carpere fonte  
Spargere nec plenis gramina fictilibus;  
Sive aptare domos apibus sub cortice tectas,  
Pampineasque levi cedere falce comas.  
Vertere vel rastris, durisque ligonibus arva;  
Spargere seu plena semina larga manu.  
Tunc molles captem somnos proiectus in umbra  
Præbet ubi herbosos terra inarata toros.  
Parva peto, si parva mihi quoque fata negabunt  
Delitiæ, requies cultus & ortus erit.  
Ver mihi det violas flavescat frugibus æstas  
Fertilis autumnus pendeat uva comis.  
Hæc satis, & miseræ quamvis mea tempora vitæ  
Conducam, illa tamen vitæ timore caret.  
Sancta dedit populis quondam qui Jura latinis  
Consul aratotes duxit in arva boves.  
Me quoque suscipiet primorum curia Patrum,  
Et dabitur magno sedis honore frui.  
Unde iuvat dubii problemata solvere iuris  
Sæpius & pleno vendere verba foro.  
Si sic fata volunt vos oro absistite Divæ,  
Parcite nunc vitæ rumpere fila meæ.  
Dum non pallentes revocare ad sidera manes  
Neve iuventutis tempora lapsa peto.  
Hoc quondam potuit Castor Polluce cadente  
Perpetuo est Baccho læta iuventa suo.

Alcides potuit referare & limina Ditis  
 Orpheus aonia doctus in arte liræ.  
 Fronte peto rugas, canosque in vertice crines  
 Tum veniet tenebris mors nocitura suis.

## DE SENECTUTE EJUSDEM.

## ELEGIA IX.

**T**empora diffugiunt celeres revoluta per annos,  
 Ut fugit Eleo carcere missus equus.  
 Heu volucres currunt anni, eheu labitur ætas,  
 Labitur ut Salsis uncta carina vadis:  
 Et mors incedens pallenti squallida vultu  
 Illa simul iuvenes demerit illa senes.  
 Postquam cessit hiems, succedunt tempora Veris  
 Atque coronari fronde videmus agros;  
 Et postquam occiduis Fæbus devexus in undis  
 Occidit, eois exerit ora fretis.  
 Nos tamen ut semel involvit nigra funeris hora  
 Ad vitam superi posse redire negant.  
 Quare Mortales pigræ prope fata senectæ  
 Assè putant quidquid mobile vulgus amat:  
 Nec Tyria compti gaudent procedere palla  
 Nec certa raras ponere lege comas;

Sed

Sed semper sacris signantes vota lapillis  
Exorant sanctos per simulacra Deos.  
Consultit ille suos coniungere fœdere natos  
Ingentique Nurus dote requirit avus;  
Nubendisque parat veteri munuscula More  
Perficit & sumptus per sua tecta novos.  
Fortunate senex superi cui talia donent.  
Sopitas iterum suscitât ille facès.  
Nam custos gaudet tenero vigilare Nepoti,  
Prælia cui prima nocte referre solet.  
Gæsus ut hesperiis superatis alpebus hostes  
Finibus innumeros appulit Italiæ;  
Ut cęptis fortuna suis non annuit ausis  
Nam celer ungaro Milite victus abit.  
Præterita atque modo laudans iuvenilia tractat  
Dum sua pollicibus vellera torquet anus.  
Vivite felices quibus est transacta iuventus  
Qui nequeunt priscos dissimulare dies.  
Nam mihi si tales contingat vita per annos  
Rideat illa meis alba senecta comis  
Atque vacet curis, dum non incommoda lædant  
Plura solent miseros quæ cruciare senes:  
Et tandem lacrimas inter mea coniugis ora  
Deficiam, molli dum fovet illa sinu  
Illa tamen vivat, morientia lumina dextris  
Ipsa rigans lacrimis corpora męsta tegat;

Et postquam tumulo clausit mea membra; quotannis  
Funeris illa memor liba, dapesque ferat.

DE ULTIMA SENECTUTE.

ELEGIA X.

**P**arvum restat adhuc vitæ mea musa canendum  
Inceptumque alacres perficiamus iter.  
Iam mæstam video, nigramque innare paludem  
Me vocat inferno luridus amne Charon.  
Tempora quæ postrema manent non dicitur ætas  
Omnia sunt etenim deteriora nece.  
Curva senecta venit fesso comitata labore,  
Quam morbus sequitur, subsequiturque dolor;  
Inceduntque simul lætea oblivia potus,  
Tristitiæ, nebulæ, frigus et horror adest.  
Unde nequit senior rerum cognoscere causas;  
Non tactu gaudet dextra, nec ora modis.  
Nullus odor nares, sonitus non percutit aures  
Nec res præsentis, præteritasque sapit.  
Ossa vides, sicci apparent in corpore nervi  
Et sedet assiduo frigidus ante focum;  
Aut baculo incumbens postes, clauditque fenestras  
Æstus namque illi, frigus, et aura nocet;

Atque nocent lusus, dulci et modulamine cantus  
Quidquid et Hiberna nocte theatra sonant.  
Culpa videre iocos, læta et discurrere pompa,  
Culpa citos certa lege movere pedes.  
Sed non argenti crimen, vel divitis auri  
Condere secreto pondera sæpe loco.  
Hinc omnes suspectus habens per sydera surgit  
Obfirmatque novis ostia clausa feris.  
Dein cursus studet astrorum, errabundaque quærit  
Lumina, quæque alto fixa perenne manent:  
Et canit Agricolis pluvias, Nautisque procellas  
Tela, famemque suis, hinc fera bella viris.  
Nec videt interea properantem funere mortem.  
Fata vocant. stigiæ solvite vela rati.  
Jamque inter fletus resonant, lacrimasque parentum  
Verba valete omnes, optima terra vale.  
Tum iubet ossa senex sacra requiescere in æde  
Et sancit sanctas post sua fata preces.  
Funereus tandem fessos color occupat artus,  
Et querulo ad manes spiritus ore fugit.  
Omnia consumet cursu longæva vetustas,  
Atque viris urbes, regna operosa ruent  
Sarmatici Montes, noscent vasta æquora finem;  
Orbis & extremum sentiet ipse diem.

## LUSUS RUSTICI IV.

**P**rona dies gressus properat, nox surgit olimpo  
 Plurima adhuc nobis perficienda manent.  
 Explanata fatis patulo iacet area ferro,  
 Hic ubi felici culmine messis eat.  
 Iam fatis arbuteos decerpimus arbore ramos  
 Vitiferas finxit falx & adhunca comas.  
 Mane novo vobis cælo gaudere sereno  
 Si levis occiduo spiret & aura mari.  
 Cura foret flores quadris componere in ulnis,  
 Ite domum celeres nox venit, ecce venit.

**P**allentes violas narcissi texito flore  
 Quas olim Dorilas in sua ferta tulit.  
 In primis signanda etenim sunt tempora fastis,  
 Aura quibus matris, vel venit imber aqua.  
 Hæc ventos vitare docet, pluviasque sonoras  
 Quasque procellosus provocat axe Notus  
 Quare sidereos primum cognoscere cursus  
 Humentesque Hiadas, pleiadesque iuvat.  
 Calistum, puerumque suum plaustroque Booten  
 Erigonisque piæ, & Sidera Cassiopen;  
 Atque vias solis, nitidis seu surgat ab indis,  
 Hesperio aut properet tingere in amne caput.



Cur brevis axe dies, quando desleclit in austrum,

Cur crescat Cancri ut Bracchia curva videt.

Noscere præterea rutilæ dispendia Lunæ.

(Si verum) effluviis quæ favet ipsa suis.

His sine nequiquam campis violaria cures

Lilia, nec casia, nec Meliloton erit.

Non tibi Beta, Apiumque simul Calaminta virescet

Nec crescet sparsis Mentha superba comis.

**C**ernis ut Aprilis nimio perflatus ab austro

Fundat aquas, multo ac imbre madescat humus,

Cernis ut omnis honor veris deperditus horto

Langueat, Agricolaë & spes populetur agro;

Putrescatque seges sulcis collapsa sub imis,

Surgat & intorto tristis avena pede.

Unde nequit sèno celebrare palilia pastor

Rusticus agresti nec dare vota Deo.

Namque ruunt alto plenis torrentibus imbres,

Ut cælum in terras præcipitare putes.

Ast quoniam Fæbus claro diffulget ab ortu

Ventus, & effuso turbine cessit Hiems.

Nunc campos purgemus aqua, purgemus & hortos

Namque satis frigus sat nocuere nives.

**F**loribus aut quoniam exornat se rustica pubes,  
 Et dat Capripedi debita liba Deo.  
 Primitias agri Cereri donamus Agrestes  
 Et de lacte novo pocula bina Pali;  
 Serta damus Veneri, Baccho de vite racemos  
 Nobis sic veteres constituistis avi.  
 Gramina ne pecori desint, ne frugibus humor  
 Uvaeque neu cana grandine læsa cadat.

## IN PATRIS FUNUS.

## C A R M E N.

**I**am properans nobis complet Sol igneus annum  
 Corpora quo tristes cari veneranda Parentis  
 Condidimus terra, tumuloque iniecimus alto.  
 Parce Pater lacrimis, sero quoque parce dolori  
 Carmina si nondum postremo debita fato  
 Persolvi, Manesque pios sum rite precatus.  
 Nam sensus mentemque meam spes credula fovit  
 Te lugente iterum venturum ad munera vitæ.  
 Fama mihi retulit patefacta per ostia Ditis  
 Heroas posuisse pedes, manesque sepultos  
 Eduxisse super convexi ad lumina cæli.  
 Sæpe etenim in somnis cari genitoris imago

Visa redire mihi, thalamisque insidere nostris.  
Quæ me vel verbis consolabatur amicis,  
Vel dabat alterno cingentia bracchia collo.  
Candida quæ rapidis fugiebant somnia pennis,  
Languida ubi prima pallebat Delia luce.

Ac simul agnovi turbari gaudia sole  
Et simulacra levi me ludere noctis in umbra:  
In Superos quæ non iactavi iurgia divos,  
Quæ non inculcavi amens fatumque polumque  
Ethera, stellarumque obitus, cursusque nocentes;  
Cum te pallentem, mediaque in morte natantem  
Aspexi. Laniata finum, laniata capillos  
Astabat coniux teneris perterrita natis,  
Undique plena domus singultibus egra sonabat.  
Quantum erat aut ferro tantum finire dolorem  
Quam superesse mei crudeli in funere Patris.

Ex Illo incæpit tristem consumere vitam  
Hinc dolor, exarsitque imas mea cura medullas.  
Quam non cocta focus pallentia gramina Colchis,  
Pocula non succis properata salubribus herbæ  
Assiduam poterant animo depellere pestem.

Longa dies, tandem & ratio cum lumine fulgens  
Attulit insperata meæ solatia menti.  
Namque Verustatis repetens monumenta superbæ  
Aut bello aut annis everfas funditus urbes  
Assuos populos, Persas, Medosque Tirannos

Romanosque orbem Tarpeia sede regentes,  
 Quos & sola dies mortali funere merfit.  
 Hæc luctus minuere meos, lucemque tulere;  
 Ut vellem casus constanti pectore ferre.  
 Irrita & agnovi quidquid de Iasone fama  
 Vana refert viridem senio traxisse iuventam.  
 Nam quodcumque mari magno, terraque videmus  
 Omnia morte cadunt & subruit omnia tempus.  
 Quæ mecum ipse putans mærentem ponere curâ  
 Incepi, tacitusque hominum lustrare labores.

Pulvereis volat ille rotis, atque Hefeda versat,  
 Nec timet ignotæ confinia quærere terræ.  
 Alter & oceanum fragili tentare carina  
 Ut ratis hesperias merces, vel portet eoas,  
 Queis ornata sinum procedere fæmina gaudet.  
 Castra sequens alius campo fera prælia miscet  
 Currus ut ante suos victos gerat urbe maniplos  
 Sed his fata manent, extrema atque invidet hora.

Deposito sqnallore anguis iuvenescit in arvis  
 Vere novo, subit idem aliquando tædia lethi:  
 Aurea lina ferat, longe micet aurea puppis  
 Non minus innocuos patietur in æquore ventos.

Grecorum testis qui mille per agmina Xerxes  
 Per medias duxit victor sua signa cohortes:  
 Ipse maris magni centum cum pontibus iras  
 Terreat, & totum componens perdomet orbem

Hic

Hic tamen hostili cessit maectatus arena.

Extremis terræ veniens Pelleus ab oris  
A Jove principium repetat, prolemque beatam  
Turba canat, fumentque sacras incensa per aras.  
Hic quoque marmorea putrescit tectus in urna;  
Vixque abolita situ magni vestigia servant  
Nominis impressi divulsis faxa ruinis.

Tiphis et Argo iacent, qui tendere carbasa ventis  
Edocuere viros sulcantes æquora pinu.  
Nestora quid referam ingentes quid & Herculis iras  
Cessit uterque rogo, fato correptus eodem.

Omne genus properat nigras Acherontis ad undas,  
Omnes tartarea transvectat navita cimba.  
Qua prius immanis deponit sceptras Tirannus,  
Et Miles parmam, ruralia rusticus arma.  
Nec stigii remeanda via est ad luminis auras.  
Quare necquiquam semper Pater optime quæram  
Qui nostros supera specularis ab arce dolores.

Vixisti Genitor parva sed forte beatus  
Innocuam, & facilem ducens sine crimine vitam.  
Nam pietatis amor multos tolerare labores  
Erudiit vigiles in publica commoda curas;  
Atque magistratus pondus patriæque subire.  
Quin miseros verbis, auro solaris egenos.  
Hinc sonitus citharæ, audita hinc carmina plausu,  
Cum lux festa aderat Petri renovata quotannis

Tu studio celebris legumque peritus in arte  
 Ex cathedra promptus, causisque forensibus aptus  
 Jura geris teneras, defendis in urbe puellas,  
 Ut nuptæ possint succedere tecta mariti,  
 Et castos servare toros, servare Penates.  
 Reddita pupillis per te sua quæque fuere;  
 Discordes quin sæpe animos in fœdera iungis  
 Cum lapis ambiguos partibat terminus agros.  
 Tu quoque Ruriculum assueras discernere lites  
 Non auri exitiosa fames, laudumque cupido  
 Nil suadere potis, valeas quo abscedere recto.  
 Contentus parvo trutinam, & suffragia curas,  
 Multaque queis poteras caros ditescere natos  
 Et bona fortunæ, æqualis discrimina vitæ  
 Contemnis, modicis laribus contentus & ære.  
 Quid de ætate feram numeris, & lusibus apta  
 Cum tua Calliopen lustravit membra liquore,  
 Tempore quo lætos olim cantabat amores  
 Vineæ respondens doctis sua Sylva Camænis.  
 Carminibus sôphiæ ad virides dulcesque recessus  
 Migrabas etenim, solem & fulgentia nocte  
 Sidera spectabas vasti explorator Olympi.  
 Cur Lunæ splendor, cessent cur lumina Phæbi  
 Dum iacet interclusa suo, cum corpore tellus,  
 Sidereosque Jovis comites miraris euntes.  
 Quandoquidem meditans patrio sub fornice tecti

Metiris terras, littus quam distet eoum  
Litore ab occiduo, populos & diffusa Regna,  
Et modo labentes per stagna loquacia pisces  
Et se iactantes Neptuni ad litora fluctus  
Scrutaris; falsus cur sit maris humor aquarum  
Etna vomat nigras piceo torrente favillas;  
Causa tibi patet, & rerum primordia cuncta.

Te nimium sero Rotæ profecit honore  
Ferraria, atque tuum iussit conscribere nomen.  
Quæ modo post cineres legum te iactat Alumnum  
Tendis iter magnum, retines vix limen adpetum!  
Cum cadis & media exanimis sub nocte recumbis.  
Vena fluit, spissum largo vomis ore cruorem  
Cum nos somnus habet, cum corpora cuncta quierunt,  
Extrema, & sine voce finis, sine nomine natos.  
Nec mihi concessum Superi dare brachia collo  
Non libare datum pallentibus oscula labris.

O domus infelix infausto o Nupta marito  
Quid tibi restat adhuc surrepto coniuge! nobis  
Surrepto genitore manet! sic vertice pastor  
Hæret ubi subito ingenti demissa fragore  
Præona sagitta cadat, validos quæ vulnere tauros  
Prosternens vastis incendia misceat agris.  
Sic dolet in thalamis prostratus nuper amatis  
Sponsus ubi rapidas per nigra mapalia flammæ  
Serpere conspiciat; trabibus furit excitus ardor

Fit clamor: trepidi fugiunt per tecta coloni.  
 Deserit ille torum saltu, perterritus, amens  
 Arripit uxorem, & natis sese implicat ultro,  
 Festinatque fugam, pedibus per saxa, per ignes  
 Quo tenuem dat flamma locum, fumusque recedit.

Quæ non insana fingebam gaudia mente  
 Commoda, rura domos studiis ferventibus emptas  
 Et feros vidisse tuos e stirpe nepotes  
 Ludentes circum, & tenera te voce vocantes,  
 Qui curas animi consolarentur aniles.  
 Gaudia quæ quoniam vanas abiere per auras  
 En supremus honor, tenuem ne despice musam,  
 Vive diu interea cæli spatiatus in oris,  
 Floribus unde novis stellantia conspicias arva,  
 Et fluit ingenti manans de fonte voluptas.  
 Hic (felix) doctos inter plaudente corona  
 Te riget æterno Divum sapientia rore.  
 Nam mihi cum cælo illa dies illuxerit atra  
 Qua linquens terras cæli super astra receptus  
 „Semper honoratum sic dii voluistis habebō,”  
 Tum sacros cineres tum cari busta parentis  
 Mane petam, mæstumque super tibi frondis odore  
 Conspergam tumulum, multis & floribus ornem.  
 Pone parens fratrumque chorus, natique sedebunt  
 Qui cineres, Manesque pios nomenque vocabunt  
 Infantes lacrimis Superos, precibusque piantes

Nec



Nec memet quisquam poterit divellere saxo,  
Invitas donec cælo ferat hesperus umbras.  
Hæc tibi sacra forent solemnibus annua pompis  
Dum mea vita reget, fegnes dum spiritus artus.





## LIBER TERTIUS.

A D A M I C U M .

### ELEGIA I

**C**Ognita sæpe tua advenit mihi epistola Paule,  
 Quæ dudum nostræ conscia amicitia  
 Postulat officii causam, cur scribere desim,  
 Assuetosque negem promere versiculos;  
 Desidiæque meæ causas studiosa requirens  
 Incerta huc, illuc volvitur ingenio.  
 Scribit enim! nū me oppressum labor improbus egrū  
 Sollcitusque tener nocte, dieque Cliens?  
 Auri num malesanus amor de pectore pindum  
 Proiecere novem quæ coluere Deas:

Num

Num dominam inculcat nostram, ut sit causa silenti  
Meque novis anceps arguit illa modis.  
Pro quibus innumeras reddo, gratesque resolvo  
Quod tibi talis adhuc pectore cura manet;  
Quodque memor vivas nostri, nomenque reserves  
Ætatisque vagæ tempora prima meæ:  
Quare ne ingrato hoc tribuas, animoque recessum  
Nomine neve putes dulce sodalitium;  
Lum tibi fraterno semper coniunctus amore  
Et vixi, atque bonis omnibus anteruli.  
Accipe quæ nunquam ferre ausim in luminis, auras  
Abdita sed nostro delituere sinu.  
Dumodo non adeo vati adversetur Apollo  
Deneget auxilium Mnemosineque suum.  
Invitus fateor Musarum e limine cessi,  
Et sanctos fluvios Aonidumque choros;  
Ac iuga permessi mirtetaque sacra reliqui,  
Templaque pieriis consita verticibus.  
Sæpe etenim mihi turba frequens repetebat ad aures  
(Ogenus ignavum turba perosa virum)  
Aspice quos habeant fructus, quæ præmia vates,  
Quale decus titulis splendeat eximiis;  
Si foribus Cererem, & Bacchum implorare per urbem  
Aspicimus miseros si mala cuncta pati.  
Inclita Progenies alto de sanguine Regum  
Ingenio claros qui coluere viros

Mece-

Mæcenâs, Cæsarque æqui cultissimus unus  
 Quorum fama vetus nomen in astra refert  
 Iam fuerunt, sonitusque levis vix percutit aures  
 Nec posthac similes terra benigna tulit.  
 Aspice tu contra veros quot adeptus honores  
 Quas laudes, populis munera quanta ferant  
 Qui strepitus, raucosque valet tolerare labores  
 Atque magistratus dura ministeria.  
 Quid memorem campos renovataque rura colonis  
 Mille quibus pecudes vellera monte gerunt;  
 Tectaque quid referam priscas imitantia moles,  
 Advena quæ cernens inscius ore stupet.  
 Quid famulos, vestes, currus ardore nitentes;  
 Quosve Auriga citos limine frænât equos.  
 Hunc sæpe ex humili tellure, & fanguine cretum  
 Romana ad summas Curia vexit opes,  
 Ac pietate gravem magno decoravit honore,  
 Atque dedit populis subdita regna suis.  
 Hac ego tantarum commotus imagine rerum,  
 Mensque boni falsis capta cupidinibus  
 Abieci sensim fateor de pectore Musas  
 Et Musæ, & Fæbi pectore cessit honor.  
 Attamen invitus. puri vos Numina cæli  
 Testor, nostra quibus intima quæque patent:  
 Abieci ex animo Musas, sanctoque recessi  
 De colle innumeris non sine lacrimulis.

Ex illo mihi tristis amor vitæque, domusque ;  
Atque sodalitiî cura relicta mei.  
Non volucrum cantus posthac, non floribus arva;  
Nec fons profiliens me recreavit aquis.  
Sed me tristities curis consumpsit amaris;  
Meque dedi duro, pervigilique foro.  
Tum fociis lusus, saltusque relinquere & arva  
Incæpi, quidquid nocte theatra sonant:  
Et licet æra viros devota ad templa vocarent  
Sæpius adveni Judicis ante pedes.  
Cuncta sed incassum: nam mens licet apta subesset,  
Non erat insanis garrula lingua modis;  
Musæ etenim mihi erant cordi, versusque, iocique  
Sive Catulle tui, sive Tibulle tui;  
Et Nemesim passim, passim memorare iuvabat  
O mala fata dii passeris exequias!  
Hæc mihi fixa animo suberant, inimicaque semper  
Me fortuna nimis torfit acerba malis.  
Qua sine non prodest gratiæ facundia vocis,  
Qua sine romanæ gratia nulla iuvat.  
Nos vero tibi thura damus, tibi ponimus aras  
Juppiter; atque rudes annua perficimus!  
Ad Nutum latis si Sors regit omnia terris  
Et semper doctos torquet ad ima viros.  
Sors etenim campos donat, populosque, domosque  
Redditur & facilis forte puella tibi.

Si volet illa domi cuncto spoliaberis auro,  
Te premet undifono si volet illa mari.  
Hac duce per scopulos, & erit via tuta per hostes;  
Hac duce per vicos mors inopina venit.  
Unde Dea ante Deos in vota vocabitur ista  
Desertum in templo te sine honore sinant.  
Surge age summe Pater, reminiscere tela Gigantum,  
Ætneis quando procubuere iugis  
Immanes fratres ausi componere montes  
Montibus; & superis prælia ferre plagis.  
Interea ad Musas iterum compellere mentem  
Est animus multis non sine carminibus.  
Nam cogente domo allectumque cupidine laudis  
Me legale pater transtulit ad studium  
Transtulit ad sacra Jura pater, legesque verendas  
Omnia quæ in præceptis vertit avaritia.  
Unde cito expecta versus tibi mille trecentos:  
Autumno virides quot movet aura comas,  
Sidera vel cœlum numerat, vel littus arenas,  
Ut nobis posthac carmina nulla petes.



ELEGIA II.  
ANNUS RUSTICALIS  
JANUARIUS.

**Q**um borealis equos Fæbus defleſcit in auſtrum  
 Tunc celeri exiguus vertitur axe dies .  
 Bruma riget ramis, nivibuſque aſpergitur orbis,  
 Eridanuſque pater flumine durat aquas .  
 Tum ſine ſole dies currunt, ſine lumine noctes  
 mutaque nocturnis ignibus arva micant  
 Tum pecudes, taurique iacent præſepibus altris  
 Atque intra paſtor limina tutus adeſt.  
 Janus adeſt, annoque fores iam pandit olimpo,  
 Janus adeſt iuvenes, nunc bona vina date.  
 Nunc certare mero decet, & bona dicere verba  
 Exoriens cœlo iam novus annus adeſt.  
 Dum notus interea ſilvis bacchatur in altis,  
 Decidit & gelidis plurimus imber aquis :  
 Nos habeat domus, & per opaca ſilentia noctis  
 Ducamus lætôs ruſtica turba choros.  
 Nunc facite, ut tremulo circum caſa luceat igne,  
 Nunc facite ut flammis ligna peruſta crepent.  
 Conveniant omnes pecudumque bovumque magiltri  
 Fillidis & miſeræ pulcher Alexis amor;  
 Ac coniuncta ſuo paſtore Amarillis, & una  
 Adveniat celeri clara Nigella pede.

Ante focum sedeant mensis iam rite paratis,  
 Et teneat duras alea nigra manus :  
 Malaque castaneas, & perlita crustula melle  
 Plenaque convivis pocula donet Anus .  
 Stentque coronati calices, stet crater Iaccho  
 Impleat & totam porcus odore domum .  
 Postquam exempta fames & cessit cura bibendi  
 Tunc spretus Lycidas vel Coridona canat  
*Lic.* Lidia crudelis nostros quid despicias ignes ,  
 Quid nostras surda respuis aure preces .  
 Nulla etenim pecudum te propter cura mearum ,  
 Nullaque taurorum cura, metusque premit .  
 Jam custode sine in desertis vallibus errant  
 Nec stabulis quisquam vespere fœna refert  
 Me miserum semper depascor imagine vultus ,  
 Ut si diuturno tempore sævitia  
 Duret adhuc; neque contra animum sententia mutet  
 Cum pastore pecus iam cito dispereat .  
 Non sic Alpheusibeus, non sic cantat Ioalas,  
 Tela quibus facilis dulcia prompsit amor .  
*Alpb.* Candidior nivibus cunctis prælata puellis  
 Clorida purpureis conspicienda genis .  
 Hæc quæcumque vides latos armenta per agros,  
 Hæc mihi propitius munere donat amor .  
 Per te bis latæ complent mulctralia vaccæ ,  
 Bis vere & lætus tondeo vellus ovis ;

Et



Et duplicem fatum capræ ad præsepia ducunt ;  
 Uberiora mihi fanora reddit ager.

Ut Clitiæ rident, nitido rosa fulget in horto ,  
 Concinit & volucrum densa per arva chorus :

Hæc facies est Glori tua hæc ridentis imago,  
 Sunt hæc dum dulci Clorida voce canis.

*Lic.* Ut sitit æstivo sub sole Hyacinthus in agro  
 Et refici optato tristis ab imbre petit ;

Ut fontes pluviis, cultis ut messibus arva,  
 Floribus ut teneris attica gaudet apis.

Sic sine amore perit sine coniuge pastor ;  
 Sic refici optata Virgine pastor amat.

Talia luce canant : tremulo sub lumine Lunæ,  
 Contegitur multa cum nemus omne nive :

Antiquo de more bovum stabula alta petantur  
 Et veniat tardo pulsa Senecta pede.

Et Chromis, & Fillis tædis ardentibus umbras ;  
 Testila Damone nec sine tecta petat.

Incomitata venis tu Pulchra Nigella per hortos  
 Decipis & matrem quæ iacet una toro !

Sed manet ad ventum pastor post flumen Amintas,  
 Et comes obscuræ iungitur ipse viæ.

Huc postquam advenere, insomnes ducere noctes  
 Ferre perarentes huc iuvat inde pedes.

Fabellas cupidæ referant in amore puellæ,  
 Taurorumque rudis dicat arator opus.

Pars volucrem gemino propellat pollice fufum,  
 Stamina vel radiis inferat alba fuis.  
 Pars etiam lanæ felicia texta per orbem  
 Ducat, pars niveæ vellera peccat ovis.  
 Evacuent aliæ tereti de turbine lina,  
 Et foliis ciftas, Viminibusque tegant.  
 Misceat & varios lufus bene firma iuventus  
 Dum cæcam virgo vertit in orbe manum.  
 Ignem perquirat Corilas fufpenfa per ædem  
 Et petat exclufum non pede tarda locum.  
 Ludite felices tales queis Numina menfas  
 Indulgent tales nocte filente choros.  
 Vos decet & terram duro confringere ferro  
 Quercubus & longas fcindere falce comas;  
 Et mulgere gregem tepidis fpirantibus auris,  
 Corpora & herbofo feffa levare toro.  
 Non circum volitant obfcura mapalia curæ,  
 Sed fopor, & dulci grata fopore quies.  
 O quantum Superis carum acceptumque putarem,  
 Vivere fi filvis fata, morique darent.  
 Agreftes colerem Divos, Faunos, Satirofque  
 Et fanctum arcadiis Pana cacuminibus.  
 Tunc mihi cura foret ftipulas pofternere in antris,  
 Armenti ftabulis ut genus omne cubet.  
 Tum vitulis præbere cibum, paftoria paftor  
 Perficere, & certis omnia temporibus.

Deliciis sed agelle tuis inimica camænis  
 Sors rapit, ad surdum me trahit illa forum;  
 Sæpius ut cogar gemitus audire Clientum  
 Et lacrymis madidas semper habere genas.  
 Quod si formosi fontes, campique virentes,  
 Et vos fontivagæ Numina Nereides  
 Talem fata manent vitam producere in ævum:  
 Semper rura tamen rura beata canam.

## FEBRUARIUS.

## ELEGIA III.

**E**Voe Bacche tuos festos celebramus honores,  
 Evoe Bacche pater ad tua sacra veni:  
 Seu te summa tenent Rhodopea cacumina montis,  
 Seu thiasos inter Tracia saxa colis.  
 Eia age Bacche veni, renovat tua Festa corymbis,  
 Turbaque pampineis en salit alta comis.  
 Sancte veni, properaque iocis Semeleia Proles  
 Nunc ferta ex hederis indue Bacche tuis.  
 Cymbala iam, buxusque decent, cape sisfra per urbem  
 Compita, perque vias ignibus ardet onyx.  
 Non hæc Relligio veteri tibi lege sacravit,  
 Nil etenim ex illa nomina præter habet.  
 Pande puella fores pictis Amerina Teatris  
 Jam mutare novis nunc licet ora modis.

Nunc fastus, nunc gemma iuvat, pictique cothurni,  
 Membraque purpureis cuncta nitere bonis.  
 Palladis arma Neæra ferat thoraca lacertis,  
 Longaque belligera fulgeat hasta manu.  
 Tela sudemque gerat castæ de moræ Dianæ  
 Altera; seu comptis prodeat alba comis.  
 Najades simulent aliæ, viridesque Napæas,  
 Et Venerem Idalius pone sequatur amans.  
 Non procul hinc aberunt labentis quattuor anni  
 Tempora diversis læta propaginibus.  
 Plena canistra rosis Veris iucunda iuventus;  
 Autumnusque uvis læta canistra ferat.  
 Atque æstu Dea pulchra Ceres flavescat aristis,  
 Et duplici panno frigora pellat Hyems.  
 Pastor ego Fauni pelles imitabor agrestes:  
 Ungula erunt pedibus, cornua fronte geram.  
 Post Bromium finget minio suffusus Amyntas,  
 Villica quem plastro magna caterva trahat.  
 Timpana pars quatiant, pars æra sonantia palmis  
 Spumet inexultos Urceus, ansa lacus.  
 Tum pœana canant iuvenes, pœana puellæ,  
 Ducat & incultos ebria turba choros.  
 Bacchus amat colles, dulces amat ille liquores  
 Quos dedit expresso sapius uva pede.  
 Pampineis semper per te micat uva racemis  
 Per te Ruricolæ dulcia musta bibunt;

Et

Et rubeus semper nostro color enitet ore,  
Tu mala pectoribus tristia cuncta fugas.  
Tu donas epulis plenisque accumbere mensis  
Tu facilis præbes somnia grata viris;  
Omnia Jucundo Nifeus succendis amore;  
Tristes sunt campi, te sine dulce nihil.  
Pone sequatur eques tardo Silenus asello  
Cui caput alterno pondere vina gravant.  
Hunc circum Vetuli comites mala turba procaces  
Malaque castaneas, forbaque fundat Anus.  
Accurratque manus iuvenum, quæ misceat arma  
Dum legit effusis munera iacta viis.  
Nunc iuvat & sudibus, celeri contendere cursu,  
Currere & obstricto, qua coit unda gelu  
Luce Jovis sacra præbebunt rura palæstras;  
Luce Jovis laqueo pendulus anser erit.  
Ordine concurrant omnes, saltuque iuventus  
Conetur forti vellere colla manu.  
Ille levis fugiat, latas dumque explicat alas  
In caput occultas urna refundat aquas.  
Colla tenens tandem victor pendentia rumpat  
Inde coronatus limina fronde petat.  
Unde parata focus invitat Cæna colonos,  
Splendet & appositis undique mensa cadis.  
Post ineant choreas, obeunt dum sydera cælo  
Dum nova sub cælo fulserit orta dies.

Vino gaudet Hiems, choreis lætatur & igne,  
 Et cantu gaudet, gaudet ubique iocis.  
 Arma vocant Gradive tuus dum nascitur annus  
 „ Mars ades & nitidas casside solve comas „  
 Non hic bella vides, grati sed pignora amoris,  
 Quæ capit alterna rustica turba manu.

## MARTIUS. LUSUS.

**H**As vites, medio surgunt quæ vertice collis;  
 Quas ulmus, quas & Populus alta comis  
 Sustinet, atque finit summis conserpere ramis  
 Bacche puer Damon donat habere tibi.  
 Tu face pampineis concreseat ut uva sub umbris  
 Et micet effusis dum fluit illa cadis  
 Interea pecudum morsus, arcete capellas  
 Germina, quæ flores sæpe vorare solent.

## A L T E R.

**N**E finite obduci dumoso limite campum  
 Ne finite in pingui crescere gramen humo.  
 Silvestres cohibere decet, proscindere ramos  
 Luxuries etenim tanta nocere potest.  
 Externas ficus peregrinaque poma per hortum  
 Quæque suo Licidas apta reponat agro.

Inte-

Dum studeo cera componere in ordine nodos  
 Ut niteat magno pondere victa pyrus  
 Alcinoique horti gemmas de stipite iungam ;  
 Atque addam tonsis persica mala comis.  
 Tu vero Chorilon rastris, ferroque bicorni  
 Verte solum, & fulcos vomer adhuncus agat.  
 Alia, lactucas, ut possis condere cæpas  
 Maxima quæ nostras possidet herba dapes :  
 Egelidæ quoniam paullo cessere pruinae,  
 Spirat & in summo Mitior aura polo .

A P R I L I S .  
 E L E G I A IV.

**S**OL Pater in partes peragit qui quattuor annum,  
 Et totum terræ lampade lustrat opus :  
 Vix summi attingit cœlestia cornua Tauri  
 Exequat vernos noctibus ille dies.  
 Omnia tum læto circum accenduntur in igne  
 Et pandunt clausos arva beata sinus .  
 Monte nives, tepido liquuntur sole pruinae,  
 Et manant vivis flumina punicibus.  
 Gramine tum campus vestitur floribus hortus,  
 In sua quos Cloris ferta gerenda legit.  
 Tum volucres renovant veteri connubia nido,  
 Et filomela inter frondea tecta gemit.

Stratus humi teretes componit vimine qualos  
 Et pascit teneras colle magister oves  
 Jam fera bella gerunt conversa fronte iuveni  
 Salrat & in summis simma capella iugis.  
 Ast quoniam fugiunt nubes, mollisque tepescit,  
 Et dulces circum ventilat aura faces:  
 Nos tondere greges deceat, tonsisque capellis  
 Mergere vel nitidis vellera fluminibus.  
 Inde apibus viridi cellas aptare sub antro  
 Qua lenis subpter perstrepat aura pede;  
 Serpillæ & florent, casia, timbræque virentes,  
 Et turgent patulis germina corticibus  
 Dum licet & dulces Zephiri, nitidique susurrant,  
 Dum licet & nitidis unda susurrat aquis.  
 Nunc fulcos renovare fimo, nunc spargere prata  
 Cingere contextis sæpibus arva iuvant:  
 Atque fabæ, notique avibus dare semina millij  
 Fundere per campos candida lina decet,  
 Quo Cloris tantum gaudet, dum munere fusi,  
 Candida dum digitis fila magistra neit:  
 Denique flaviferam sulcis bene condere messem  
 Quam vagus asiaco dettulit orbe Puer.  
 Abdita si quis adhuc quærat primordia rerum  
 Iam vulgata prius fabula nostra ferat.  
 Fama antiqua manet multos servata per annos  
 Divitis hanc segetem membra fuisse Viri



Qua rubet in nitidis exorta Aurora quadrigis  
Tithonum linquens humida lacrimulis  
Atq: ratis rubro transvectat littore merces  
Queis tantum ornari fœmina compta petit  
Immanes populos dura dititione premebat  
Contemptor Divum sævus Agarziades.  
Vita erat in silvis pretendere spicula cornu;  
Et bello, & rapto vivere cura fuit:  
Mox choreas agitare leves, lususque, iocosque  
Atque Falerneis vertere vina cadis.  
Post ciathos cantare modos, nudare lacertos  
Et capere in vetitis gaudia mille toris.  
Jamque Augustus erat: mentem venerantur Agrestes  
Stabat, & ante pias agna necanda fores.  
Venatu tum forte fues agitabat, & ursos  
Garzius antiqua nobilitate potens.  
Cum improvisa super densis nox astitit umbris  
Et Luna incertum testa ministrat iter.  
Rex æstu impatiens, fessusque errore viarum  
Optabat molli ponere corpus humo.  
Mons erat, & scopuli late, præruptaque rupes  
Nullaque fumosis iuncea villa casis.  
Sit satis indulgisse feris Rex clamat ab alto.  
Sole novo prædas tunc repetemus ait.  
Nunc requiem suadent oculis, nunc sydera somnum  
Cum volucres campis, cum filet omne nemus.

Non

Non procul hinc silva est, patulis densissima ramis  
Antraque filyicolis sæpe habitata Deis.  
Possumus huc tandem herbiferis discumbere mensis  
Fæssaque gramineis membra levare toris:  
Unde amnis strepitus salientibus undique limphis  
Inducit somnos, & levis aura suos.  
Accelerant gressus iussique silentibus umbris  
Rex tenet ignotæ limina parva casæ.  
Est domus interior vivo sub pumice facta  
Quam tegit intorto vitis adhunca pede.  
In medio surgunt Aræ, flammæque coruscant  
Latonæ sacros Virginis ante pedes.  
Servabat templum Divæque altare triformis  
Nimfa gravis senio, nec pede prompta suo.  
Irridet Juvenis faciem, rugosa pelle rigentem  
Cui thalamos, epulas, Hospitiumque petit.  
Hæc quæ sacra vides veneratur Templa Viator  
Fatur Anus, dapibus Hospes abire potes.  
Hic Dea silvarum colitur Latonia Virgo  
Per nemora alta manu figere docta feras.  
Cynthia sæpe solet venatus fessa labore  
Huc cohibere suos nocte silente choros.  
Hoc tectum Divæ sanctum iam mille tabellæ,  
Cultaque cum votis munera mille docent.  
Virginibus sacris nostri iungantur amici;  
Et cubet in nostro candida Diva thoro!

O utinam huc illam ducat iam vesper olympo:  
At vix insanos prompserat ore modos;  
Cum procul attriti sonuere foramina buxus,  
Adventumque Deę commonuere canes.  
Obvia venit Anus facibus dum carmina circum  
Ortigię in laudes agmina læta canunt.  
Ut Venerem spernat, Puerique nec orreat arma  
Qui Paphon, altum quique Amathunta colit.  
Tu virides Nimphis gaudes lustrare recessus,  
Antra racemiferis consita verticibus;  
Fluminis & ripas, estivis ludere in undis,  
Cingere purpureis clara alabastra rosis.  
Jam costum Armenii diffundite gramen Amomi  
Et pulsate sacrę texta canora lirę.  
Obstupere omnes! Regi vox faucibus hæsit!  
Pallidus exanimi corrui ore solo.  
Arripit inde fugam, pedibus timor addidit alas.  
In cassum superas credis abire manus  
Exclamat Dea! nec fugies quę fata sequuntur;  
Cœnaque ruricolis Rex eris ipse viris:  
Teque prement lignis sonitum dabit area pulsa  
Fractaque cum duris corpora trita rotis  
Dixerat! & subito Iuvenis radicibus astat  
Fixus humi: Hinc frondes per latus ire videt  
Fit tener, atque leves artus sine pondere crescunt  
Crescere ut in patria Canna palude solet.

Horrescit, subitaque pavet formidine captus  
 Quis superum exclamat quis mea membra rapit?  
 Multaque se incusans tandem peccasse fatetur,  
 Et quas tendebat non videt inde manus.  
 Jamque os contegitur, cristæ mutantur, & ostrum;  
 Inque comas abeunt septicolore iubæ.  
 Gemmæ, aurumque simul fulvū mutantur in orbem;  
 Cortice, ut in tenui punica mala rubent  
 Sicut & immanes humeros velabat amictū.  
 Nunc quoque cum viridi corpora veste tegit.  
 Hinc esca Agricolis surgit gratissima mensis,  
 Vespere cum feros rettulerintque pedes.  
 Docta colona prius flammis suspendit ahenum,  
 Et maceram segetem cum sale fundit aqua;  
 Post ubi decrevit, crepitatque farina sub undis  
 Bracchia tum nudans volvit in orbe sudem  
 Flava polenta nigro donec nova prodeat ære,  
 Fumet & obscuris rustica cœna casis.  
 Delia tu salve læti salvete coloni  
 Flaviferæ messes, & nova Nupta Ceres  
 Interea picto florent dum margine rivi  
 Vicino hæc Damon carmina colle canat.  
 Cœli pande fores anni iucunda iuventus,  
 Et campos fertis indue floriferis.  
 Naiades Driadesque Deæ Faunique bicornes  
 Ducite iam solitos culta per arva choros.

Vos

Vos tepidi fontes, vos devocat aura Favoni,  
 Et vos depicto gramine prata vocant.  
 Et tener asparagus læta cum fronte virefcit  
 Fragaque montanis rofcida verticibus.  
 Præmoneo multas releget iam Meflor ariftas  
 Et Paftor pingues ipfe videbit oves.  
 Præmoneo immenfas calcabit Vinitor uvas  
 Ruflicus & calathis grandia poma feret.  
 O quot caftaneas, & olentia pruna racemis  
 Quot crumeras facilis nuntiat aura nucum.  
 Arbuteos fætus nec non turgentia ramis  
 Germina, & efculeas Fillida cerne comas.  
 Divite connubium hoc certe celebrabimus anno  
 Omina fi cælo candida firmet amor.

## MAJUS: LUSUS.

**L**ilia cana, crocumq. rofis, mixtoſq. amaranthos  
 En Coralina tui percipe culta finus.  
 Asparagos primos, & dulces ruris honores  
 Quæ furtim legi rofcida fraga gero.  
 Sunt pepones cucumis, vel longa cucurbira collo  
 Atque pyrum ramis dulcia poma colo.  
 Quodque vides nitido farcimen pingue canifiro  
 Hoc Germana mihi donat habere tibi;

Addit infantes partus, quos compare turtur  
 Dum gemit esculeis edidit arboribus.  
 Cras autem calathos croceos, & cymbala portem  
 Dum repetam patrios serus ab urbe lares;  
 Et Tunicas, aptumque comis, opera aurea, peplum  
 Et quæcumque tibi grata futura geram.  
 Tu vero tanto pro munere suffice solum  
 Intactam pura simplicitate fidem.

## A L T E R.

**V**idisti Turtur campos ut quærat & undas,  
 Ut loca cum gemitu pervia lustret avis:  
 Ut filomela canens nocturna silentia rumpat,  
 Fixaque sub turri mæsta columba gemat.  
 Gallus ut incrocitet, Gallina & pandat apertas  
 Alas dum rostro provocat ore marem.  
 Utque capella caprum, dilectum buccula taurum  
 Mugiat, ut campis candida balet ovis.  
 Omnia iucundo circum inflammantur amore  
 Et pisces undis, per nemora alta feræ.  
 Tu viduis solum thalamis Coralina iacebis;  
 Nec dabis ardenti solvere vota sinu.  
 Disce puella torum, Lycidam nec sperne maritum,  
 Omnia si quando cogit amare Venus.

## JUNIUS: LUSUS.

**N**unc laqueos coniunge tuos, nunc defere montē  
 Certe namque alto fima capella perit.  
 Nonne vides summæ ut dumosa cacumina rupis  
 Utque per exesas currat anhela vias.  
 Si mihi Faunorum quisquam, vel servet Apollo  
 Carcere te semper dura catena premet.

## JULIUS; LUSUS.

**D**um Fæbus campos radiis altissimus urit  
 Et latrat æthereus sicca per arva canis.  
 Antra racemiferis potius contexta corymbis,  
 Vel simul irriguas turba petamus aquas.  
 Allia, cæpa recens, pepones quos colligit Egla;  
 Caseoli pingues, & bona vina manent:  
 Quin porci referet Coralina Abdomen ab æde,  
 Atque apio rutas misceat illa manu.  
 Nostraque dum latos siccantur fæna per agros,  
 Atque novem atque decem quilibet ore bibat,  
 Pabula post plaustris super imponemus & herbas,  
 Mærenti donec decidat axe dies.



## A L T E R.

**V**Os fratres ætate pari residetis ad undas  
 Hic ubi procliva præterit amnis aqua;  
 Fraxinus & frondes texunt umbracula quercus  
 Hærentes medio flumine vel falices.  
 Nos durare decet Cancræ sub sydere membra,  
 Et dura attritas rumpere falce manus:  
 Iam segetes sternuntur humi, surguntq; manipuli  
 Villa bipenniferis perfonat ipsa viris.  
 Solliciti ergo qua nulla nemus accubat umbra  
 Ite viri, & socios quærite; campus habet.

## AUGUSTUS: LUSUS.

**A**St quoniam Melibeus oves Tirifque iuencos;  
 Et cogit faturos ad sua tecta boves  
 Ante horam; remanetque dies quoque clarus olimpo  
 Eridani ad fluvium non procul ire neges.  
 Possumus hinc ambo nudos præbere lacertos  
 Atque per undisonos ambo natate greges.  
 Ut fulicæ Alcionesque solent, quando ingruit orror  
 Certatimque anates ire per uda leves;  
 Sic iuvat & nobis peragrare licentius undas  
 Sic fessa æstivo membra levare die.

ALTER



## A L T E R .

**S**int laudes Cereri, Cererem venerentur Agrestes  
 Area frumentis emicat ista novis.  
 Iam ciceris grummos, congeffimus ante phafellos  
 Et milli & farris grandis acervus adest.  
 Adveniet dominus tumido Pancratius ore  
 Qui fruges, superos increpitetque Deos.  
 Arguat agricolas campum non rite colentes  
 Deffidiamq; fui grana minuta foli.  
 Heu rubigo mihi melfem, mihi fuffulit omnem;  
 Heu vitiata meis gramina dicet agris.  
 Non ego ceffiffem Licidæ, veteri aut Palemoni;  
 Scilicet & nulla grandine tacta fegeſ.  
 Verte puella procul pullos, & deiice virga  
 Nonne vides melfes Gallus ut ille voret.  
 Urere formicas feftinet & Egla ſub horto,  
 Nam vacuant latebris horrea noſtra ſuis.  
 Saccos tu præbe interea, venit ecce Miniſter  
 Tuſſis anhelantem detinet æde fenem.

## SEPTEMBER.

**S**int laudes Baccho, Bacchum venerentur Agreſtes  
 Lucida pampineis en micat uva comis.  
 Sordida iam venient calcatis muſta racemis  
 Uvaque veloci ſub pede preſſa fluet

Incipe Matalcas cellis educere vasa  
 Prælaque tum puro perge lavare lacu.  
 Dolia viminibus fas est tornare catinos  
 Ne fluat e rimis unda lixa suis.  
 Natam ego Damonis, Ligdæque vocabo sorores  
 Cognita tu Lycidæ vespere tecta petes.  
 Sternere cras etenim maturas vitibus uvas  
 Est animus, roseo fulget ut axe dies.

OCTOBER:  
ELEGIA.

**T**U quoque Sancte Pater nostro celebrabere versu,  
 Turgida pampineis quem tegit uva comis;  
 Quem liquor, & madidis sequitur vindemia prælis  
 Pressaq: calcato dulcia musta pede.  
 Te cytharæ, & lusus, te rauco cornua cantu  
 Ve vocat agrestis fistula læta sono.  
 Mensarum decus o lenimen Bacche bibentum,  
 Pax, animique quies Bacche bimater adi  
 Scorpyus at quoniam chelas producit inertes  
 Et fit cedenti proximus Erigone:  
 Et quoniam volucres tepidas vertuntur ad oras  
 Moliturque fugam trans mare Mater Iris  
 Nunc iuvat & glæbas iterum subvertere aratro  
 Nunc stimulare pares sub iuga dura boves:

Nunc

Nunc opus est rastris, marris, duroque bidente  
Atque opus est viduæ nunc dare semen humo:  
Nec pigeat latis fossas deducere rivis,  
Unde queat facili currere lymphæ sono:  
Et foveas æquare solo, componere arenas  
Ne rigido duret nix nimis alta gelu  
Fluminis in morem, nigra stagnetque palude,  
Dum fluit hibernis horridus auster aquis.  
Cum vero festa lætantur singula iuce  
Ibimus Alcone sollicitante feras  
Perque nemus, latebrasque cubilia nota petemus  
Quæ canis a longe naribus afflat Athos.  
Et volucres, leporesque modo sectabimur arvis  
Tendemus Turdis condita vincla plagis.  
Improvisa super quandoque cupidine prædæ  
Adveniet tacito clara Nisella pede.  
Obtutuque hærens plantas suspendet in herba,  
Seque teget fultis ut Dea cæspitibus.  
Parcè Diana tuis cædit non illa Færetis,  
Nec minus est rubeis digna Nisella genis.  
O Felix volucrum teneat quem bella Puella,  
Quem tantum teneat bella puella manu.  
Illa etenim vultu, gremioque fovebit amico,  
Teque locet niveo sæpe Nisella sinu.  
Ut silvas posthac, dulces non visere campos;  
Sed cupias rubris oscula ferre labris.

Retia delectant, mihi sed nova gaudia præbet  
 Noctua delitiis præda reperta meis.  
 Planities antiqua iacet spatiosa per agros  
 Ferrariæ sextus quam notat urbe lapis.  
 Antoniana vocant loca: qua non frondibus arbor  
 Ulla viret, nullum protegit umbra solum.  
 Servata hæc retinent pro virginitate sorores  
 Quæ domus & patris deseruere lares.  
 Hæc ego prata petam primo sub sole nitente.  
 Balista, atque arcu bella cruenta geram.  
 Nictimenen confixa solo ciet ore volucres,  
 Quæ memores patrios contemerasse toros  
 Undique conveniunt: denso velut agmine facto  
 Ut miseram perimant conglomerantur aves.  
 Ast alis Galerita super dum pendet apertis  
 Decidet ignivomo cæsa sub axe globo.  
 Agricolaë inque casas lato peragrabimus agro  
 Unde movet celeres ebria turba pedes.  
 Unde & Hymen, himenæ canunt, himenæ salutant  
 Ridet & in tantis villica nupta iocis.  
 Vesper adest. differe nefas iam gaudia vobis,  
 Quæ dat deliciis nocte beatus amor.  
 Hæc dum carminibus repeto mihi Munera Midæ  
 Et mihi pactoli Lydia fordet aqua.  
 Felices silvæ, Felicia tecta colonis  
 Et vos concordi copia nexa fide.


Solvitur hic animus summarum pondere rerum  
Lætaturque novis undique divitiis.  
Hic iuvat interdum claro discurrere cælo,  
Ut matutino gramina rore micent;  
Mugitusque audire bovum, sub valle bidentes  
Linquere gramineos cum monet Hesper agros.  
Salvete o nemora, & vos hinc salvete recessus,  
Silvarumque Pater, Capripedesque Dei.  
Vos semper recolam, vestris dabo turra sacellis  
Mellaque cum niveo cymbia lacte dabo.  
Scilicet & ducam filvis inglorius ævum;  
Vita erit in filvis, vita beata mihi.

## NOVEMBER. LUSUS.

**L**Igdame nonne legis siccos ex illice fructus,  
Mespila, seu fuis acria sorba notis.  
Castaneæ, cecidere nuces spirantibus euris  
Et pluit & ventis silva, nemusque tremit.  
Nonne audis grunnire sues contundere glandes;  
Nonne audis vasto ut concrepet ore cibus.  
Glans porcos alat & nostros, depelle furentis  
Agmina vicini, quæ loca adire solent.  
Ligdame te miserum si non mandata facellis  
Deprensum multo verberare restituum.

## A L T E R.

**P**Ulchra Nisella è formosa quoque nata Licori,  
 Auratis sed enim pulchrior ipsa comis.  
**E**xoriens Aurora poli iam discutit umbras  
 Spargit & è summo lilia caena gelu.  
**N**ascitur & Fœbus qui matutinus eoo  
 Dum fulget gelidas lumine crispat aquas.  
**Q**uod non securas præbent nunc antra latebras  
 Nec nectit choreas flora per arva suas;  
**F**rigore sed potius coitur vaga fluminis unda  
 Fundit & albentes Jupiter axe nives.  
**T**u refoves thalamos, tu caram amplecteris Eglam;  
 Fallere quæ Boream gaudet & ipsa toro.  
**T**unne Nisella domi tu ingrata moraberis ultro  
 Et dabis ingenti robora sicca foco:  
**S**pumabitque vetus circum tua pocula Bacchus  
 Miscebisque dapes clara Nisella manu.  
**N**ec memor es Licidæ quod sæda huc agmina duxit  
 Amon ubi genitor conferit arva senex.  
**S**i nequis ex oculis furtim decedere matris  
 Ammissum toto de grege finge caprum  
**O**mnem tolle moram, & carum pete sola colonum  
 Crede mihi nimphis munera digna feres.



## DECEMBER: LUSUS.

**T**U mihi purpureos retulisti ex urbe cothurnos  
 Et caligas, fulvum strosolumque sinu.  
 Tu mihi coralium, & gemmata monilia collo.  
 Qualia fert sacro Nata Licone die.  
 Serica nec lateri defecit mantica duplex;  
 Sive chirotecis linea mixta novis.  
 Tu fufos flavamque cholam, tu buccellata,  
 Tu mihi volfellas, & digitale refers.  
 Quid ferpille tibi tanto pro munere donem?  
 En tibi caftaneas, mollia forba gero:  
 Et fungos pratis certo, quos tempore legi,  
 Et fervata diu mala recocta mero;  
 Atque faginati pinguis bona viscera porci,  
 Quæ lacte atque herbis mifcuit ipfa parens.  
 Muneribus cunctis fulvo & pretiofius auro  
 Corque, fidemque tibi meque, animumque fero.

## A L T E R.

**N**unc frigus teftis, filvis nunc ingruit orror;  
 Neve finunt nobis longius ire nives.  
 Tu glandes diffunde manu, ciet ore Menalcas!  
 Percipe villofum poft fua terga fuem!  
 Scinde iecur ferro, & per costas illia rumpens  
 Grunnitu moriens impleat ille nemus.

Nisa paret limphas, paret Egla cruore catinum,  
 Congerat & multo ligna Rosetta foco.  
 Sustulit & postquam Milcon de tergore fetas;  
 In frustra & cessit pectus, & ossa, pedes;  
 Sollicitæ matres distendant viscera porci,  
 Misceat & timbris lacque, merumque parens:  
 Atque apium rutam, fuso coriandron anhero;  
 Cruraque tum multo contegat ossa sale.  
 Ordine suspensi ventres, farcimen in æde  
 Pendeat, ut cælo fulserit orta dies.  
 En nunc invitat fessos bona cæna bubulcos,  
 En lætis flammis Larque, domusque micat.

LUSUS ; POETICI  
V E R.

**S**olvitur acris Hyems dulci volat aura susurro.  
 Et nix montano vertice tota ruit.  
 Iam crescunt fluvii, fontes; littusque perosus  
 Immemor equoreum navita tentat iter  
 Iam Progne repetit notos peregrina Penates  
 Et soror antiquo iam canit in nemore;  
 Chaoniæque gemunt volucres, tepidasque querelas  
 Turtur ab umbriferis exprimit arboribus.  
 Lilia cana legunt, pueri, caltasque virentes,  
 Et rosa virgineo gaudet ab ungue legi.

Paster



Pastor in umbrosos saltus armenta reducens  
 Ad calamos dulces concinit ore modos.  
 Huc illuc pecudes dispersæ gramina pascunt,  
 Et tauri dura prælia fronte gerunt.

## ALTER : ÆSTAS.

**E**T Nulli egelidis descendunt nubibus imbres,  
 Et fera e nostris montibus umbra cadit.  
 Nullaque prætexit viridantes populus umbras,  
 Nullaque vicino concinit ales agro.  
 Pallet humus, sitiunt herbæ, fons invidet undas,  
 Nullaque Vicinum concitat aura nemus.  
 Non armenta, gregesque ovium per prata vagantur  
 Nec findit durum vomere stiva solum.  
 Atque canis pecoris custos proiectus in alga  
 Mittit anhelantes ore sonante modos;  
 Hinc Satiri rurisque Deæ pede Naiades udo  
 Pumiceas quærunt sub cava saxa domos.  
 Quæ male si vitare cupis Franciscæ sodalem  
 Quære tuum in campis, candida rura pete.  
 Hic ubi perpetuo manant de fonte liquores  
 Et donat gelidos silva beata sinus,  
 Et platani, fagi, foliis frondentibus alni  
 Fraxinus, & Corilus, pinus amata Deo.

Hic

Hic tiliæ & salices arcent a solibus ignes,  
 Et viridi citrus fronde coronat aquas.  
 Tu poteris sævos antro vitare calores,  
 Tu poteris vivo pellere fonte sitim:  
 Qui salit & querulo percurrit ad arva susurro,  
 Unde venit fesso corpore grata quies.  
 Æstivos mihi crede dies non noris adesse  
 Montibus e summis sic levis aura venit;  
 Perstrepere ut nequeant inter virgulta cicadæ,  
 Læta sed in ramis garrula cantat avis.  
 Perpetuumque habitare putes loca læta Napeas  
 Et ver perpetuas hic posuisse domos.

AD EMIN. SERRAM FERRARIÆ LEGATUM  
 IN EJUS ADVENTU.

C A R M E N.

**N**icolae decus patrię spes maxima sæcli  
 Gloria, Romano & laus accessura Parenti,  
 Qui te pro meritis rubeo velavit amictu,  
 Ferrariæ ut populos regeres, Divisque secundis  
 Exoptata diu Saturni tempora ferres.

Si licet in tanto, quo personat aura susurro  
 Promere securos devoto, e pectore sensus  
 Visa feram & vanum me nulla redarguet ætas

Jam

Iam meditans cultis spatiabar solus in arvis  
 Qua Pater Eridanus tumidis præterfluit undis  
 Et nostram labens urbem procul amne salutat.

Vesper erat, subito mediis cum nubibus ignis  
 Emicuit, tonitruque poli per inane volutus  
 Et stetit ante oculos cithara manifestus Apollo  
 Arcum, habitumque gerens, & Numinis arma faretrâ.  
 Obstupui; gelidusque tremor per membra cucurrit;  
 Atque Deum falsus nullas vel fingere contra  
 Humanas potui, nullas vel reddere voces.

Ast ille elapsum relevat, firmatque paventem  
 Meque regens dextra dulci sic ore profatur.  
 Numen adest Juvenis non frustra in vota vocatum  
 Quæ meditaris adhuc deducere carmina plectro  
 Et laudes Serræ doctis intexere chartis  
 Non me nocte lacent! fatorum hunc aspice librum  
 Et librum læva Fæbus tendebat apertum.

Quo sortes hominum, pugnataque prælia Regum,  
 Et destructa diù, & surgentia regna leguntur.  
 Fatorumque aperit seriem populosque, locosque  
 Mortali aud referenda sono, nec cognita visu  
 Quæ nunquam cæli nequeam proferre sub auras

Ast latiis digesta modis postrema videntur  
 Tempora Marcelli nostræ qui præsidet urbi:  
 Iam pater, & Princeps, sacri nunc Pastor ovilis,  
 Imperii ærumnas cuncta illic ordine cernes

Agmina Nimborum, tempestatumque frementum  
 Plures perque vices tolerata incommoda messis.  
 Hic totis ferme penuria diffita terris;  
 Nec procul aspiceres rumpentia flumina ripis  
 In terras ruere, atque infano vortice sylvas  
 Arboribusque boves, subversaue tecta natare.  
 Territa iam fato supplex urbs ipsa Cymacii  
 Ante aras divum puros adolebat honores.  
 Denique tartareo surgebant monstra barathro  
 Centimani Biarei, infando corpore sphinges,  
 Eumenidesque feræ volventes turbine flammæ.  
 Quæ superum Rector miserans mala plurima terræ  
 Iecit ad extremæ populos, nostrumque misertus  
 Incolumes vitæ per multa pericula traxit.

Hæc dum cerno avidumque fero per singula vultū  
 Heu Princeps dixi fatis exercite iniquis  
 Et lacrimæ cecidere. Deus mihi protinus ore  
 Tale refert; quæcumque vides sine Numine divum  
 Ne evenisse putes, cæli volventibus astris  
 Post certum numerum præfixaque tempora surgunt.  
 Sedulitas non ulla iuvat, vigilantia contra,  
 Non labor assiduus, vel plurima vota dolentum.  
 Ast meliora manent mutato sydere fata.  
 Hic Marcellus erit pietate insignis & æquo  
 Regum amor & superum dulcissima cura deorum:  
 Nec plura effatus medio in sermone reliquit

Plurima scitantiem, & necquiquam plura petentē.  
 Non hoc astra volunt, ultroque aperire futurum  
 Fæbus ait: ventura precor ne scire labora  
 Quæ superi sortesque dabunt, niger imminet imber  
 Et vos precipiti differi turbine cerno.

Ad Serram converte oculos, & perlege fastos.

Sacra dies aderat roseo conscripta lapillo,  
 Qua Genitor triplici redimitus tempora mitra  
 Purpureum gestare tibi cum veste galerum,  
 Farrariæque dedit populos in pace regendos.  
 Hic signatus amor, prudentia cana capillo;  
 Et veterum leges, rectumque, probumq. monentes.  
 Hic constans vitæ tenor, hic ad grandia pectus  
 Et spes, & pietas; pura atque in veste refulget  
 Relligio, sed prisca atavis, nullique secunda.  
 Talia scripta monent, clausitque volumina **Fæbus**.  
 Nunc molire modos, dignos nunc concipe **versus**.  
 Sic fatus fugiit tennes, velut ales in auras,  
 Et celer ignitos descripsit in æthere tractus.  
 Ipse Dei monitis, & tanto munere lætus  
 Incedo, parvumque peto per sydera tectum.

Ast quis condignas poterit componere laudes  
 Virtutesque tuas numeris æquare canendo.  
 Quis genus, & proavos proavitaque testa docere,  
 Uude ortum trahis, & teneræ primordia vitæ.  
 Dignum opus, hoc equidem nostris sed viribus impar.

Felix ante alias o magna Liguria talem .  
 Quæ puerum iuvenemque tulit, nunc iactat Alumnū.  
 Felices Jani sedes urbs æmula Romæ.  
 Non ego marmoreis erecta palatia stratis  
 Mirer, & ingentes exciso monte columnas,  
 Quas Paro, vel frigio solvens de littore Nauta  
 Dettulit immensum iactatus fluctibus altis .  
 Non ego vel turres, aut propugnacula belli,  
 Vel simulacra virum spirantia lumina vitæ ;  
 Sive maris portum, quo non securior alter  
 Vel naves teneat, vel si petat æquora classis.  
 Pieriis ornanda modis sunt Nomina patrum  
 Quos alit in gremio Brutos, Fabiosque, Camillosque  
 Illustres animas pro libertate paratas  
 Seu patriam servare, omnesque e finibus hostes  
 Pellere, vel demum hostili procumbere ferro ;  
 Serreiadumque velim genus atque extollere famam.  
 Sed Roma ante alias longe felicitior urbes ;  
 Dulces quæ mores animum admirata senilem,  
 Ingeniique artes, peregrinaque munera mentis  
 Magna sibi spondens venturo tempore gaudet .  
 Clavibus insignis Pastor, sanctisque Thiaris  
 Latatur, rerumque tibi permittit habenas .  
 Namque palatini ad summos te vexit honores  
 Imperii; ut moles humeris commissa recumbat .  
 Dum loqueris tanta est doctæ præstantia linguæ

Pendeat ut patrum suspensus ab ore senatus,  
Præsidiumque ferat, dulce aut sermone levamen.  
Non pietas, vel ficta fides affectat olympum.  
Maiestas gravis, & placido reverentia vultu,  
Sed sedet ore pudor Sirenum vincere cantus,  
Illecebrisque suis teneras vel fallere Divas.  
Tu veterum vindex legum, prudensque futuri  
Consiliisque potens populo dominaris & urbi;  
Nec iuga detractare finit vel parcere rapto  
Justitiæ virtus, lances quæ pondere versans  
Non inopum temnit lacrimas, non arma potentum  
Illa pavet. Resides folio pater omnibus idem.  
Quare cum septem colles & Tybridis ora  
Cum tua magnanimi celebrarent gesta Quirites:  
Tunc Summus Pastor nutu qui temperat orbem,  
Et superum veneranda viris oracula pandit  
Regibus acceptum populis te destinat altis.  
Tu subis extremæ diurna pericula terræ,  
Oceanique sinus, scopulos, loca cæca per undas;  
Atque novos quærens tractus nova regna, virosque  
Nunc & Hiperboreas glacies montesque nivales  
Exsuperas; donec te magna Polonia caput.  
Romanas tu res supremo & credita iussu  
Doctus agis, proceres inter vel limina Patrum  
Spe&atus studio, atque fide molimina magna  
Perficis, incedisque omni laudatus in aula.

Quin Rex ipse tui flagrat correptus amore,  
Atque aditus præbet, facili teque excipit aure.

Hinc te digressum felici numine Clemens  
Respexit, tandemque sacro te murice cinxit.  
Mox tibi sceptrâ dedit populisque indicere leges  
Hic ubi Marcellus cælo, Divisq; secundis;  
Et Rex & Pastor sacrata in veite renidens  
Templa, urbemque regit, tanto qui lætus honore  
Sceptrâ velut Nato servans data pignora reddit,  
Lætitiâque fremens dulces amplectitur artus.  
Gaudete o cives, bona dicite verba puellâ,  
Rustica turba canat, lætis Padus affonet undis.  
Aurea felici labentur tempora mundo.  
Tritis pulsa fames, luctus, discordia, fraudes  
Insidiæ, cædesque feræ, atque armata venenis  
Alecto, stridens erebi petit atra latebras.

Non vitata solo producet femina campus  
Sed lætas segetes, gravidos dabit uva liquores;  
Ut vix sufficiant nascentibus horrea spicis;  
Ut vix sufficiant nascenti dolia Baccho.  
Non concreta gelu tellus torpebit inani;  
Nec decertantes patietur in æthere ventos  
Non fata grandinibus nigra aut rubigine messes  
Intereant, placidoque Padus cum gurgite curret.  
Jam tibi terra salit campi, ripæque nitescunt,  
Florida iucundos submittit terra colores.

Jam



Jam læta ubertas, baccheaque dona vagantur,  
Noſtraque fertilibus devolvunt flumina ripis.  
Jam fas & leges, incedunt fœdera recti,  
Et iuvat hoc tempus longum memorare per ævum.

Sed iam finis erit! tua pulchra modestia laudes  
Ultero non patitur, plenam licet ire per urbem.

Aspice quos lufus, tibi quæ ſpectacula præbet  
Urbs noſtra, utque ruat portis effuſa iuventus  
Totaque in occurſum plaudens ut geſtiat omnis;  
Teque Patrem longe, ſalvatoremq; ſalutet.

Jam tibi ſolemnes deducunt undique pompas,  
Adventuque tuo collucent atria flammis,  
Atque ſonant citharæ lituique, & cornua cantu.

Jam ſua teſtantur læti bona gaudia cives.

Procedunt equites, biugiſque ſonantibus adſunt,  
Queis clamys aurato lucet vel tegmine Palla.

Vulgus iners ſequitur, celeri & pede compita complet

Aspice feſtivilis iaculatos turribus ignes,  
Errantesque polo flammæ, ſtellasque cadentes,  
Nec non ignivomo fabrefacta tonitrua Cælo.

Ferrariæ interea lætos ne deſpice lufus.

Munera parva quidem, tanto nec principe digna;  
Qualia ſed poſuit nobis longa vetuſtas:

Quæ quondam dignatus Avus ſub mænibus iſtis,  
Ritu namque ſubest parvo iam grandis origo:

Salve magne Pater tu gloria maxima ſalve

Eridani, nostrosque orsus nec sperne labores.  
 Si te nulla movent dicentia carmina laudes;  
 Ast tua te flectat pietas, nativaque virtus  
 Iustitia atque adsis vati pede dive secundo

Hanc parvam tutare domū atque insigne parentis  
 Nomen, qui studio celebris, legumque peritus  
 Doctrinæ tot clara suæ monumenta reliquit.  
 Impar ingenio, at magnis non degener armis  
 Per fora sum patris vestigia docta secutus;  
 Sed Themis invito & respexit lumine Pallas.  
 Artes quid profunt vigilataque tempora chartis,  
 Si quos vult fortuna rotis Dea cæca fatigat.  
 Tu desiderio tu suffice vela volenti  
 Nec sine me indecorem, aut segnem me degere vitam.

Interea ad dulces iterum iuvat ire camænas  
 Et lauro caput, atque tuos præcingere crines.  
 Hei mihi pro lauris inducet fama cupressus,  
 Nec finet ire dies tanto mors invida plausu,  
 Et nos ingenti cumulabimur undique luctu.





LIBER IV. ET ULTIMUS.

AD CLARISS., ET PRÆSTANTISS. RIMINALDIUM  
FERRARIENS. ALUMNUM. NEC NON &c.

ELEGIA I.

**I**Bis ad antiquas Elegeia Tibridis arces,  
Et permutatis ibis anhela rotis.  
Mænia fraterno non te fundata cruore,  
Nec teneant sculptis te simulacra locis;  
Porticibusque altis Lerneæ monstra Chimææ,  
Nec Clava Alcides qui metuendus adest;  
Quæque solet stupida mirari fronte viator  
Extremis veniens advena littoribus.  
Ut prius ingentes RIMINALDI adspexeris ædes,  
Tunc auriga citos limine sistat equos.

Currus linque altos, sedes intrare patentes  
 Incipe pacato lenis adire gradu.  
 Nulla ministrorum te turba retardet euntem,  
 Quæ solet in lucem ducere nocte iocos.  
 Tu propera, doctique viri penetralia quære,  
 Quidquid & occurret, ne remoretur iter.  
 Depictas cernes tabulas, aulea figuris,  
 Certatimque auro corradiare trabes:  
 Atque laboratis vestita cubilia pannis;  
 Strataque quin pedibus splendida concha micat.  
 Ne cædas, dominum donec conspexeris ipsum,  
 Qui proceres inter conspiciendus adest.  
 Ille erit in medio; & dextra, levaq. sedebunt  
 Insignes multi nobilitate viri.  
 Quæis referes parvo, ast humili sermone salutem,  
 Ut dederis Domino debita verba tuo.  
 Hic etenim Patriæ repetens monumenta vetustæ  
 Ponere non titulis ænea signa studet:  
 Sed studio, & cives claris ditare magistris,  
 Qui priscis iuvenes artibus erudiant.  
 Quorum alius nostri, latiique ænigmata iuris  
 Scrutatur tantis scripta voluminibus;  
 Alter & ingenium medicas dum vertit ad artes  
 Edocet, ut redeat corpore pulsa salus.  
 Alter & humanos cæcos penetrare recessus  
 Audet, & ignoto mittere vela mari.

Corpore quid lateat quærens, nervosque, cutesque;  
 Ossaque membranis tam bene testata suis.  
 Divinas leges, naturæ arcana recenset  
 Incertumque alius lumine monstrat iter.  
 Cœlestes sphæras stabili cum lege planetas,  
 Ad centrum proprio qui super axe rotant.  
 Nec desit veterum qui per documenta virorum  
 Exploret vultus, sculptaque saxa notis.  
 Denique Graiorum fastos & gesta Quiritum  
 Viigilli, & Tulli scripta diserta sale  
 Bongiocchus sequitur dicendi doctus in arte,  
 Atque iterum Argolicus surget in ore lepos.  
 Etruscæ Musæ venient, surgentque latinæ,  
 Iamdudum profugas quas ego monte voco.  
 Atque ita componit sollerti hæc omnia cura,  
 Cuilibet utque suus præmia, partus honor.  
 Sed iam tempus adest animi deprimere sensus,  
 Fas est arcanos & referare modos.  
 Inlita progenies patria RIMINALDUS in urbe  
 Dulce decus vatum, præsidiumque suum.  
 Fas penetrare tuas me iussit Chicolus ædes  
 Musarum custos, qui tua facta colit:  
 Qui leges tandem civilia iura reliquit,  
 Non erat ingenio natus ad arma fori.  
 Nil iuvit studiis animum intendisse severis,  
 Adversos semper si probat aure viros.

At

**At** rectum fortuna tamen non nomen ademit,  
 Non habuit pronas in scelus ille manus?  
**Si** quod habet crimen Fæbi est iustrasse recessus  
 Palladiasque artes excoluisse scelus.  
**Ver**sibus Euridicen nigro revocavit ab orco  
 Orpheus, & movit tartara dura prece.  
**Hac** arte Eneas cæli inter Numina splendet,  
 Et tibi carminibus sydera pacta manent.  
**Ire** sub auspicio contendunt carmina vatis,  
 Et prodire tuo nomine scripta rogant:  
**Gloria** non tantum ut magno quærat Alunno,  
 Quantum det victus pignus honoris Hero.  
**Mille** per ætates vivet per sæcula mille,  
 Orbe nec extremum sentiet ille diem.  
**Quid** monumenta iuvant titulis ornata superbis,  
 Grandia Mausoli quidve sepulchra iuvant:  
**Et** quas Pyramides Cælo labor improbus egi  
 Si revoluta annis hæc iacere solo.  
**Interea** rudibus quæ ausim committere chartis  
 Accipe parva quidem; magna futura tamen.  
**Quæ** non tempus edax, senium labentibus anni,  
 Nulla potest rabies nulla abolere dies.  
**Carmina** non tantum Ciceronis scripta Platonis,  
 Edidicit sophiæ verba diserta scholæ:  
**Author** & ingenio facilis, patiensque laboris  
 Urbano cuiquam deditus officio.

Aptus ad arva, libet placido si degere ruri,  
 Aptus ad extremas si libet ire vias.  
 Natus ad arma, bonæ quoque natus ad otia pacis;  
 Auxilio dignus quem tueare tuo.  
 E genitore venit quo non præstantior alter,  
 Aut legum studio vel probitate fuit.  
 Ad te confugit tandem fiducia vitæ  
 Solaque in indomitis anchora tuta vadis.  
 Unde miser poscat lapsis solatia rebus,  
 Si non te præter unde reposcat habet.  
 Ille sibi facilem dominum per carmina quærit  
 Tu potes evversas res reparare suas.  
 Sic tibi Romanæ Princeps qui præsidet urbi,  
 Et duplici imperio subdita regna tenet.  
 Diq., Deæq. omnes tribuant RIMINALDE quod opto  
 Ocyus ad patrios nempe redire lares:  
 Cum te promeritis sacro velaverit ostro  
 Magnanimus Clemens cui favet axe Deus.  
 Sic vivas, canique micent in vertice crines,  
 Innumerosque neat candida parca dies.  
 Sit finis fandi, non gemma, auroque probatur  
 Nec solum antiquo nomine Nobilitas  
 Solari miseros opibus, fulcire cadentes  
 Musarum comites vel relevare suos;  
 Dum fera in adversis agitur fortuna procellis  
 Hoc meret æternum nomen in ore virum

Hæc postquam docto compleveris omnia ritu,  
 Fac celeri linguas atria magna pede.  
 Deductum interea nostra testudine carmen,  
 Ne quæso tenues despice magne iocos  
 Nam maiora canam, si non spernentur honores  
 Quos tibi Mæcenæ pagina nostra dabit

AD MUSAS DE VENUSTATE FILLIS  
 ET EARUM RESPENSIO.

ELEGIA II.

**D**icite Pierides (faveat sic Delius ore  
 Et vireat semper Laurus amica comis)  
 Quæ Fillis mandata dedit, quæ protulit ore  
 Num liquor Ambrosiæ dulcis ab ore fluit!  
 Nil nobis retulit respondent carmine Musæ;  
 Rigit, & in risu candidus astat amor.  
 Illa manu facili læta nos fronte recepit  
 Perlegitque tuos aggere versiculos.  
 Dicite dum nostros Fillis recitavit amores  
 Dicite num molles erubuere genæ?  
 Qualis visa Deæ vernantia prata pererrans  
 Et quales oculis visa referre faces.  
 Ducebat gressus inquit Dea maxima pindi  
 Qua Scultenna levi labitur unda sono.

Non



Non sic ridet humus tepidis spirantibus auris  
 Non sic vere novo vernat odore solum.  
 Non sic nativis candescunt lilia pratis,  
 Non rosa nativis sic rubet ulla comis.  
 Non sic Auroræ facies micat alma quadrigis  
 Non sic Fæbe tuum splendet in axe iubar.  
 Vifa mihi qualis vehitur Cithærea per æquor;  
 Sic Venus ad Thalamos cum veheretur erat.  
 Vifa mihi qualis vehitur Dea Cinthia curru,  
 Latmia in amplexus sic Dea saxa petit:  
 Auricomi nitido fulgebant vertice crines,  
 Quos ligat effusus lumine Crisolithus.  
 Spirat acidalium longe coma compta liquorem;  
 Assirio atque arabo stillat odore sinus.  
 Pectoris ima latent, pars eminent illa videnda,  
 Quam pellucenti stamine vitta legit.  
 Selecti flores ludunt variantque papillas,  
 Mixtaque puniceis lilia cana rosis.  
 Purpura fusa genis, Coralia bina labellis  
 Et gemina in nivea sydera fronte micant.  
 Bracchia nuda nives vincunt, digitique, pruinas  
 Annulus aurato quos tener orbe secat  
 Illi vestis erat variis conspersa corymbis  
 Ductaque ad extremos tam bene culta pedes.  
 Et croceum textumque humeris velamen in auro,  
 Quod collo subpter tænia picta tenet.

Qua

Qua movet illa pedes levibus sonat unda chachinnis,  
Blanditurque suæ diffugiens domine;  
Et furas furtim Zephiri nudare vel aura,  
Gaudet & in molli ludere verna pede.  
Quaque movet gressus confurgit Amaracus illic,  
Et vario florum terra colore micat.  
Illam Naiades sociæ comitantur euntem,  
Annis arundinea cinctus & ipse coma.  
Talis visa mihi Fillis prope fluminis undas  
Ut tibi iam cupido visa puella prius.  
Risit et ipsa legens; charites risere per ora  
Risit & ex oculis cypria diva suis;  
Nosque manu excepit (tangit dum pollice dextras  
Urimur, & pindi non iuvat esse Deas)  
Denique collaudans Fillis tua dia camænas  
Infecit teneras purpura fusa genas.  
Mox oculos tollens duxit suspiria corde,  
Et mecum tremula voce locuta fuit.  
Nunc campi cultus patrem, nunc vertere glebas  
Nunc gregis implicitum cura bovumque tenet.  
Urbanos tandem repetat cum rure penates  
Adveniet Fillis, nec mora longa manet.  
Jamque cadunt frondes, & cana pruina novembrem  
Admonet. hoc nostri tempus amoris erit.  
Sic mihi, sic Fillis rutilo fuit ore locuta  
Currite Festino noxque, diesque pede.

Temperat ut glaciem Fæbus, levis aura calorem,  
 Solatur vitam spes brevis ista meam.  
 Dii facite æthereas ventus ne portet ad oras,  
 Neve sub æquoreis omina mergat aquis,

## IN FRATRIS MORTEM.

## ELEGIA III.

**E**X oculis lacrimæ postquam cessere dolentes  
 Queis flendi potius copia rara venit;  
 Quin desiderium abfit, materiesque recedat,  
 Quæ non æqua suo temperat a gemitu.  
 Vos tristes Elegi, Pindique induta cupressu  
 Tristia propterea Numina adeste Deæ;  
 Carminibusque meum fratrem lugete peremptum,  
 Et facite æternus sit dolor iste meus:  
 Meque comes lateri semper dolor hæreat iste  
 Seu vivam, aut stigiis sim levis umbra locis.  
 O cari manes o vos carissima fratris  
 Ossa, o nunquam oculis illa videnda meis!  
 Ossa nisi extremo rerum sub fine legenda  
 Cum tuba terribiles edat ab ore sonos;  
 Artus unde leves fusimque cadavera surgent,  
 Tellus quæ genetrix, quæ mare claudet aquis.  
 Ast quoniam ætatis primo sub vere recumbis,  
 Umbrarumque tenent te loca senta solo

Accipe fraternos luctus, luctusque parentum  
 Quosque tibi donat dulce sodalitium.  
 Nam pueri, & fusis per lactea colla capillis  
 Undique virginei te gemuere chori.  
 Et Padus obscura redimitus arundine crines,  
 Dum fluit hinc mæsto tristius amne sonat.  
 Populeas etiam frondes Fætonta gementes  
 Interitum referunt indoluisse tuum;  
 Sapius & nomen tremulis clamasse sub undis  
 Fraternal penitus funeris immemores,  
 Ast ego morte tua indolui magis omnibus unus,  
 Cui puro semper iunctus amore fui;  
 Ut nequeam meminisse tui carissime frater  
 Quin non mæsta iterum fletibus ora rigem;  
 Et tibi Mirteolos, spargam de rore liquores,  
 Multaque cum suplici Turrea dona prece.  
 Jam lacrimis, fletuque meo consumor inani,  
 Jam fugit e thalamis pulsa dolore quies.  
 Seu nostris sedeat fuscis nox horrida terris,  
 Seu matutino lux micet orta polo.  
 Felix illa dies quæ me tibi iungat amanti,  
 Inque tuo gremio membra fovere sinat.  
 Perpetuo unde vides si coeli machiua motu  
 Sive globos circum volvitur athereos:  
 Et septem gelidos dominantes axe Triones,  
 Iridis & sparfas versicolore domos.

Qua-

Qualiter & currat declivus in æthere Fæbus,  
 Discolor ut rapidos Cynthia versat equos.  
 Hinc alios campos hinc tu nova flumina cernis,  
 Flumina sydereo præteritura pede.  
 Omnia namque Deus circum dum lumine complet  
 Additum in antiquis Numen inesse putas;  
 Unum Tergeminum Divamq. Hominumq. parentē  
 Virgineos partus dum sine labe colis.  
 Fortunate puer cælesti in parte receptus,  
 Æthere cum nobis fulsit amica dies.  
 Jamque dies aderat, quo fulgidus Aliger alis  
 Dettulit ætherei iussa verenda Patris.  
 Quo levis intumuit sine semine Virginis Alvus,  
 Ut promissa diu pignora nostra daret.  
 Quare securus tandem unde hæc omnia cernis  
 Aspice, & in fratrem lumina flecte tuum;  
 Quem certe miserum sancto nisi Numine sistas  
 Ad fortunatę lucida tecta plagę  
 Fluctibus heu stigiis, nigro demergitur Orco,  
 Et subit inferni Lurida regna Dei.  
 Ut Filomela sedens vacuo sub pondere quercus,  
 Cui natos furtim Pallor arundinibus  
 Sustulit implumes complet cava saxa querelis,  
 Et nemora, & sylvas devia flebilibus.  
 Ut viduus plorat surrepto compare turtur  
 Quem huc illuc querens & vocat, & revocat

Longum mensus iter donec, longoque volatu  
 Eridani fessus considet aggeribus.  
 Hęc mihi conveniunt lætali in pulvere fratris;  
 Sed quis deslenti quis mihi finis erit?  
 Frater abijt qualis decerptus ab ungue puellæ  
 Flos tener, aut nullo quæ manet umbra loco.  
 Iam mihi deficiunt tenues sub pectore voces  
 Nec finit invitum dicere plura dolor.  
 Vive diu interea felix nostrumque misertus  
 Hinc Cęlo votis adnue dive meis:  
 Et fratres, carosque tuos solare parentes,  
 Quo pereunte domus maxima pars periit.  
 Denique fac subito sanctas sequar unus ad aras  
 Visurus clari gaudia magna poli;  
 Auriat ut tecum cęlestes spiritus auras,  
 Nam te surrepto vivere fata negant.

F R A G M E N T U M  
 I N D O M U M I L L E C E B R O S A M .

**I**Te procul musę, non est ea Cęsarıs aula  
 Quę fundat pleno munera larga sinu.  
 Has sedes Venus, & Veneris puer incolit ædes;  
 Et salii & mimmi Fur, meretrixque tenent;  
 Et quidquid finxit cultis Epicurus in hortis  
 Illecebrę, lusus, gaudia, concubitus.

Divitiis cumulet tales domus ista procaces ;  
 Non est pro doctis hæc domus apta viris.  
 Per Fæbum o Musa, per quem iurare soletis,  
 Per caput alati Bellerophonis equi  
 Me nunquam posthac facturum carmina iuro:  
 Stet sine laude domus, gens inhonora fremat.

## LUSUS PŒTICI.

**I**am fervet succensa dies, sitit arida tellus,  
 Pallet & in medio conditus amne padus.  
 Non reficit campos udis aurora capillis,  
 Nec nox roridulos excutit axe sinus :  
 Et dare colla iugo, destractant iugera tauri,  
 Nec gemit arenti vomer adhuncus agro.  
 Tu vero, quoniam Fæbus nunc excoquit arva  
 Speluncam Dorilus care subito meam.  
 Hęc iacet exesi summo sub fornice montis,  
 Hęc tectum, latebras præbet amica torum.  
 Silvestres hederę, fruticesque umbracula texunt ;  
 Atque racemiferis torta labrusca comis.  
 Jam parte ex alia colles spectabis amænos  
 Nedum obstrepentes dum salit amnis aquas,  
 Ninfarumque domos rorantia fontibus antra,  
 Antraque pumiceis structa foraminibus.

Hic leviter permotæ auræ captare quietem  
 Et suadet longos alea pictâ iocos.  
 Hic poteris mecum vitreo recubare sub antro,  
 Æstivos poteris fallere amice dies;  
 Post dulces geminare modos, & arundine cantus  
 E nostris donec collibus umbra venit.

## A L T E R.

**E**Xercere solum, patrias subvertere glæbas,  
 Et stimulare pares sub iuga dura boves;  
 Nunc decet attritis & condere femina sulcis,  
 Et premere agresti turgida musta pede.  
 Silvestres cantare modos dum poma leguntur,  
 Pineolasque legit filia parva nuces.  
 En pater Autumnus redimitus colla corimbys  
 Ludit, & ad nostros en Deus ipse lares

VOTA AD SUPEROS UT LIBERENT POETAM A CURIS  
 ET POTISSIMUM A LEGALI STUDIO. &c.

## E L E G I A.

**F**æbe pater quoniã mihi carmina sola supersunt,  
 Ut possim tantis me relevare malis



Annue, defluetas digitis dum tangere chordas,  
Cogor & antiquos serus inire choros.  
Hanc artem primis iuuit didicisse sub annis,  
Illa fenescanti sit quoque grata mihi.  
Non ego magna canam focco, vel digna cothurno,  
Tam gravis in nostro non sonat ore Deus.  
Hæc Goldonus agat, Venetusque superbiat orbis  
Gignere cui tantum fata dedere virum.  
Æternumque precor sit fama perennis in ævum,  
Nec pereat vatis Nomen in exequiis.  
Vota Deis faciam, curva subeunte senecta  
Votis quisque suis Numina sollicitat.  
Dum supplex venio venerati ad busta sacelli  
Fac cito festiva splendeat ara face.  
Turaque funde focis, & cinnama grata vaporent,  
Et sua Mellifluis exta probata favis.  
Sparge rosas calathis, citharis domus insonet alta,  
Ductilibusque tubis tota caterva canat.  
Accedat Chlamide insignis, vittisque Sacerdos  
Purus inauratos Numinis ante pedes.  
Postquam operata Iovi prisco sunt omnia ritù,  
Et maectata sacris concidit agna focis.  
Sit mihi solemnes celebrare ad pocula lusus,  
Concipere & sanctis, sit mihi vota modis.  
Dii Maris, & cæli, terræ, noctisque profunde,  
Quos semper colui, queis pia Turra dedi;

Cum nondum firmis poteram consistere plantis,  
 Reptabam vestras cum puer ante fores  
 Adstitis; faciliq; Pater me respice vultu,  
 Nec sine postremas voce perire preces.  
 Non ego divitias, non magnas turribus ædes  
 Quas intret pavido gens inhonora pede;  
 Non gemmas, aurumque peto, quæsitâ labore  
 Sive charisteo marmora sculpta solo:  
 Nec minus in vastis pomaria consita campis  
 Et tercentenas dives avarus equas;  
 Indomita de stirpe citos ad prælia natos  
 Quæque truces prodant ad fera bella mares.  
 Hæc teneant cupidi latis pecuaria silvis,  
 Atque pererando gramina læta terant;  
 Ennumerentque duces, fractasque per oppida turmas,  
 In quorum foribus signa cruenta vides.  
 Absit avaritia o Superi, procul ambitus absit;  
 E quibus omne scelus defluit omne nefas.  
 Parva domus satis est fumoso tecta tigillo,  
 Divitiarumque meæ parvus agellus erit.  
 Succrescat proles geminum expressura parentem,  
 Cui Fæbus numeros, cui sua pleetra neget.  
 Fac patrias odisse artes, studiumque perosum  
 Virgilli, & Tulli scripta diserta sale;  
 Pithagoræque orsus, docti monumenta Platonis,  
 Atque Epicurei dogmata cuncta senis.

Quæque docet mutata recens præcepta lyceum,  
 Omnia quæ pessum Numen abire sinat.  
 Doctus erit qui tela refert, urbèsque minatur  
 Demens dum proprio funere regna parat:  
 Doctus & ante alios si dira pecunia regnet,  
 Pallaque sidonio murice tincta micet.  
 Dives doctus erit, doctus Mercator in urbe  
 Præclaros inter suscipiendus avos.  
 Illi Fidiacis consurgat ianua faxis,  
 Et sit apellea picta tabella manu.  
 Sin tituli, & fasces, insignia, stemmata, currus;  
 Nobilis ad mensas turba frequentet iter.  
 Qui purus virtute animum exornare laborat,  
 Quippe amat aoniis otia parta iugis;  
 Promere vel latios dulci sermone lepores,  
 Et studet ætatis vincere fata suæ.  
 Sit merito pauper! curis exercitus atris;  
 Deliteat nigra pauper, inersque casa.  
 Quæ precor in melius convertant tempora Divi,  
 Incipiantque novo currere sole dies.  
 Nec sinat immeritos vexari sorte poetas  
 Delius, & doctos qualibet arte viros.  
 Tres mihi sunt natæ fausto quas fœdere iuncta  
 Edidit in thalamis uxor amata meis.  
 Corpore formosæ, vultu, gestuque puellæ;  
 Factæ in delitium pars quotacumque mei.

Quam raræ facies, roseis quæve ora labellis,  
Quæ clara in nitida sydera fronte nitent.  
Dii vobis tribuant Superi bona cuncta puellæ,  
Nec patris aversas dent tolerare vices.  
Felices nimium si nunquam gaudia norint,  
Quæ dat delitiis pronuba Diva suis.  
At sedeat servare fidem, sanctumque pudorem,  
Sin nuptæ instantes pellere nocte procos,  
Et Fastus odisse suis spectacula pompis,  
Quæquæ sacro præbent lucida festa die.  
Nunc etenim teneras vitiant delubra puellas,  
Qualia nocturnis spurca theatra iocis.  
Nec remanere domi secreta in parte rogantes  
Nec pudeat niveæ carpere vellus ovis.  
Exultent aliæ formam corrumpere fuco,  
Non suus ut mollis crescat in ore color;  
Et vestes variare auro, distinguere gemmas;  
Atque peregrina pectere lege comas.  
Occurrant comptæ quoties sua limina linquent  
Quas vehat elatis currus eburnus equis.  
Non vos ista decent; operosæ pensa Minervæ,  
Et contexta novis licia multa modis.  
Hæc iuvenes captant, gaudetque Himeneus ad aras,  
Dum properat casta vir, mulierque domo.  
Ne suscepta precor Superi contemnite vota,  
Vos similis pietas, sollicitavit amor.

Ergo mihi vitam multis redeuntibus annis,  
 Et finite hinc vacuos vos agitare dies:  
 Si tamen orantem dura Deus audiat aure,  
 Eiciantque meas Numina dira preces.  
 Non ego Cimmerias sedes, loca senta furore,  
 Nec renuo stigii iussa subire canis.  
 Nec tibi Persephone nigras cadet Hircus ad aras,  
 Placabunt duros sacra nec exta Deos.  
 Quis furor indomitam lacrimis contundere mortem,  
 Quis furor invito vel dare colla iugo.  
 Qui putat orando varias divertit ad artes  
 Provida naturæ flectere consilia.  
 Sat vixit quemcumque refert Libithina sepulchro  
 Neve ætate impar cum sene puber erit.  
 Annos mors æquat; citius, vel serius ire  
 Quid vixisse tibi plusve, minusve iuvat.  
 Si cito fatalem semper mors nunciat horam,  
 Si celeri semper convenit illa pede.  
 Scilicet & centum vitæ compleveris annos  
 Hinc alium, atque alios addere posse putas.  
 Dii quorum auspicio nunc usque exegimus auras  
 Si fas cum precibus flectere fata meis,  
 Ut simulacra docent pictis suspenfa tabellis,  
 Et docet in multis ara reperta viis.  
 Vos facite exacto longo iam tempore lucis  
 Tardus ut elisios umbra beata petam.

Sin minus ah faltem ( votis exopto quod unum )  
 Tollite me rauco Numina sancta foro .  
 Qui prior ignotis finxit commenta libellis  
 Non ita silvicolis illa recepta viris ;  
 Cum rupes coluere cavas cum vita per agros ,  
 Et fuit inculto stramine tecta domus :  
 Non fuit hic nostris certe e regionibus ortus ,  
 Nec tulit humano prima alimenta sinu .  
 Quid Superi poterant immittere turpius axe  
 Edita quam tantis scripta voluminibus .  
 Non sic certabant primarum corpora rerum ,  
 Cum steterant nullo pacta elementa loco .  
 Quam rabulæ dictis contraria dicta repugnant  
 E flegetonteo nata caterva sinu .  
 Dettulit illa scelus terris , periuria , fraudes ,  
 Non suus ut vetitis expotiatum herus .  
 Non frater fratri , non hospes ab hospite tutus ,  
 Non genitor nato , non focer ipse nuru ;  
 Et licet inficias mortali pocula succo  
 Sive petas thalamos clam taciturnus amans ;  
 Subdolos & sine teste feras tibi credita in umbris  
 Alteriusque velis perdere fraude decus .  
 Per te si steterint doctorum nomina vincis ,  
 Doctor & in chartis quidve requirit habet .  
 Quid gemitus viduæ referam , gemitusque Nepotis ,  
 Queis semper lacrimis imbuit ora dolor .

Non-

Nonne fuit satius gelido considerare lecto  
Tristia post cari fata suprema viri;  
Quam rapere infensis etiam bona cuncta puellis;  
Semper ut amissa virginitate gemant.  
Franguntur sanctæ versuto interprete leges,  
Atque favet turpi foedus avaritiæ.  
Quam bene felici sub principe vivitur isto,  
Cui terræ, & domiti supplicat unda maris.  
Hic iura & sanctas produxit in ordine leges,  
Et trutinas Themidi restituitque foro.  
Nunc dolus & fraudes, diri cessere labores;  
Nunc pax, & rectum regnat ubique fides;  
Iustitia & nostro regnabit semper in orbe  
Te terras donec fata habitare sinant  
Magnanimus CLEMENS, plaudit cui maxima Roma,  
Quem tremit Odrisio luna recurva polo.  
Interea mihi si strepitus vitare forenses;  
Et tribuant studiis posse latere meis  
Cætera Fortunę mando, concedite Alumnum  
Qui domui & natis consulat ille meis;  
Semper & incolumes nostras servate puellas,  
Queis sine non vitam ducere fata volunt.  
Audistis superi? en templi sacra limina linquo,  
Defigens sanctis oscula parietibus.  
Iam simulacra, fores, rectas pia flamma per aras,  
Nuntiat en nobis prospera cuncta Deus.

AD

## AD AMICUM DE INFORTUNIIS POETÆ.

## E L E G I A.

**S**I mea scire cupis quæ sint incommoda vitæ  
 Pollius, aut quantis verfer ubique malis.  
 Omnia conscribam, faveat modo Delius ore  
 Iamdudum nostris exul amice iocis.  
 In primis etenim cari post fata Parentis,  
 Quo pereunte mei maxima pars periit.  
 Annos quem ternos, totum & lugebimus ævum  
 Scribendi cessit gratia si qua fuit.  
 Cessit amor Phæbi, nec sunt velut ante Camenæ,  
 Musa nec ad numeros sufficit apta pedes,  
 Quin prohibet pindi sacros aurire liquores,  
 Carpere & optatis laurea ferta iugis.  
 O quam sum Polli primo mutatus ab illo  
 Duximus unanimes cum simul urbe dies.  
 Pallidus incedo, & mæstus loca sola frequento:  
 Muta domus, lacrimis ni sonet illa meis.  
 Funera dira Patris tanti sunt causa doloris.  
 Hic etenim musis otia grata dabat:  
 Et requiem fesso, & lætis convivia mensis;  
 Hic mihi cum choreis retia, tela, canes.  
 Sæpe peregrina velavit corpora veste,  
 Sæpius & gemmis ennituere manus.



Pendebat lateri pictis quoque circulus horis  
 Aureus, & læva fulgidus ensis erat.  
 Lusimus hinc Veneris furta & iucunda puellis  
 Carmina supremo non peritura rogo.  
 Et mea dextra fores ornavit pendula fertis,  
 Et cecini, atque sonos nocte silente dedi.  
 Omnia perdidimus lætali in funere amice  
 Et fortuna novis me rotat usque malis.  
 Vidi egomet luxique meam per tecta Licottam  
 Coniuge desertam iam sine amore queri  
 Quam stipata tenet natorum turba querelis  
 Anxia flebilibus quamve puella tenet.

† *Desunt.*

Nec possum in tantis exaultæ casibus ullas  
 Ferre quidem modicas dulce levamen opes.  
 Nulla paterna mihi subvertunt arva iuveni,  
 Nec sudat nostris messor & ullus agris.  
 Non calcanda recens gravidos gerit uva racemos;  
 Nec tingenda Tyros vellera portat ovis.  
 Nec minus in tectis volvuntur turbine fila  
 Serica fæmineis optima textilibus

† *Desunt plura.*

Tres mihi sunt fratres, qui se se ætate sequuntur  
 Nam quartum Lachesis sustulit ante diem.  
 Prædia nulla mihi vano quæsitâ labore  
 Non mihi sunt auri pondera parta foro.

Veni-

Venimus ad scopulos Polli niger imminet imber,  
 Et perit in tanto cymba gravata mari.  
 Vos cives vos sancta patrum subsellia testor;  
 Humida te lacrimis curia supplicibus.  
 Pindaricas fateor semper coluisse sorores,  
 Ne tegetet nomen mollis arena meum.  
 Sed vires, studiisque animum intendisse severis,  
 Atque Themis rectas continuasse vias.  
 Quæ liceant homini, quæ sit prudentia iuris;  
 Debita quæ vetitum poena sequatur opus.  
 Artes quid profunt, vigilataque tempora noctis,  
 Dum strepit hibernis affricus auster aquis.  
 Palescit facies, tabescunt pectora libris,  
 Cogor & adversos semper habere viros.  
 Non subit ære cliens, tecti si limen apertum  
 Ingreditur, miserum fordida vestis habet;  
 Cui latus alterutrum perstringit fibula morfu,  
 Duraque nudatos tegmina bina pedes.  
 † *Hinc desunt plura.*  
 Sæpius hinc cives, graviter monuere parentes,  
 Ut sinerem doctas longe habitare Deas.  
 † *Desunt multa.*  
 Non ego (proh Superi) violavi Numina verbis  
 Neve tuli sacris aurea dona locis.  
 Non mea mortifero tractavit corpora felle  
 Dextera, nec ferro preda petita fuit.

Nec

Nec novus exarsi Theseus, Fædræque sororem  
 Abduxi incestu per vada falsa maris.  
 Crimen amare Deas, Fœbi & lustrasse recessus,  
 Palladiasque artes excoluisse scelus;  
 Et Themidos veteres populis diffundere leges,  
 Et sine muneribus vendere verba foro?  
 Ah pereat quicumque mihi mala crimina pinxit,  
 Alitibusque cibus turpiter ossa cubent.

† *Desunt cætera.*

„ Dant scurris domini lænis, scortisque cinædis,  
 Et nemo studio præmia digna dabit!  
 Multaque prætereo noltris quæ fusa libellis  
 Scripsimus in dyros dicta legenda senes.  
 Copia nunc crescit, crescunt ut gramina campis  
 Iuditio fratres iura paterna petunt.  
 Dividimus muros, retulit dotalia mater,  
 Et minor in thalamis eger Julius adest.  
 Iamq, tremens, tenuemq, miser mutatus in umbram  
 Sanguineos macie despuit ore lacus.  
 Proh dolor! & similem correptum turbine morbi  
 Flevimus extremo carmine ad inferias;  
 Nunc alter primæ vernant cui læta iuventæ  
 Tempora, nunc flendus parvus Julius ades!  
 O nunquam nostras intrasses hospes in oras  
 Nunc mihi contingit te moriente mori.

Fra-

Frater abi! sic fata volunt! non ire recuso  
 Per stigias focius velificatus aquas.  
 Omnia si vellem Polli contexere versu  
 Sol prius hesperio tingeret amne rotas.  
 Innumeras alibi conscripsi stulte tabellas;  
 Multaque necququam carmine vota dedi,  
 Ut me prætorem deserta in valle crearent  
 Seu quodcumque mihi munus ad officium.  
 Restabat canis una mihi, mea cara voluptas  
 Cui fixum pulchri nomen Adonis erat.  
 Qui passus semper casusque secutus heriles  
 A domino nunquam latior ungue fuit.  
 Gurgite quo fulicas, lepores venebar in agris,  
 Perque nemus volucres, tecta perantra feras.  
 Hic quoque diffugiit, nunc & custodia tecti  
 Alterius mavult esse levamen Heri.  
 Quæ mihi nascenti signabant sidera cælum  
 Non certe mitis dulce iubar Veneris;  
 Sed facies truculenta Anguis, truculenta Leonis,  
 Proxima & arctoo turpia signa polo.  
 Usque adeo assiduis cælum me casibus urget  
 Ut mallem in cunctis me nihil esse viris.  
 O Fatum infelix, durum o lacrimabile fatum!  
 Illa mihi Fillis, Fillis amica mihi  
 Cura animi; quindenos ultra & amata per annos  
 Fata iubent alias longius ire vias.

Cogitur externas exul perquirere terras ,  
Et me desentem linquere liminibus.  
Heu te discedente mei pars maxima cessit ;  
Sic reor extremos funeris esse metus .  
Heu iuvenem invenies, cupido seu iuncta marito  
Ridebis nostram nupta puella fidem .  
Omina quæ potius disperdat in æquore ventus  
Spes alat, in melius & mala vertat amor .  
Innuba semper eris, nullos curabis amantes  
Nec posita in foribus humida ferta tuis .  
Nec te decipiant peregrino lumine gemmæ  
Sive ea Chrisolitus, sive smaragdus erit .  
Scilicet intextos monstret tibi palla colores ,  
Verrat & aurato tegmine vestis humum .  
Fœminea pauper si duces stamina dextra  
Te nova Penelopen, Laodamia vocent .  
Tu nova Hipermnestre, nova tu Zenobia vives  
Exemplum raræ virgo pudicitia .  
Tu tela luces, noctis solaberis umbras ,  
Lanificioque trahes pensa diurna colo .  
Quod si pollicibus teneris nequit edere Fillis  
Talia, cum duræ sit labor iste manus .  
Accipe bracteolas, tenui nec forfice desint  
In gremio gemini munera verticuli .  
Sic memor ipsa mei, poteris tum fida manere  
Absentis curas sic relevare viri .

Delatam donec fausto mihi nuncius ore  
 Ad patrios referat te rediisse lares.  
 Tunc ego qualis ero rapidus de limine curram  
 Excipiens reditus cara puella tuos.  
 Quæ non alterno dabimus suspiria corde,  
 Quos non amplexus utraque dextra dabit.  
 Tunc nos unanimes consorti & lege maritos  
 Nullus amor poterit vellere, nulla dies.  
 Quid fingo infelix! nostræ constantia vitæ  
 Frangitur hic Polli, mensque, animusque mihi;  
 Meque adeo miseræ cæperunt tædia vitæ,  
 Ut cupiam infernos ipse subire lacus:  
 Tamque gravi moriens tandem requiescere cura,  
 Sed pavor & itigiæ me premit usque viæ.  
 Lætæ sedes, tenebrosaque regna dolentum  
 Me sævis terrent anguibus Eumenides.  
 Cerberus, & nunquam passus per viscera vultur,  
 Et versata citis horrida membra rotis.  
 Eolides metuo saxo, metuoque sorores,  
 Dum sua perpetuo colla labore gravant.  
 Credite mortales loca foeta bitumine, & igne,  
 Credite sulfureas & sine luce domos.  
 Æternumque animas post funera vivere certum est,  
 Cedere postremis ossa cremanda focis.  
 Præmia digna piis cælestibus intulit oris,  
 Pro meritis posuit tartara nigra Deus.

Cætera iam fileo mala, quæ tibi cognita dudum  
 Nil iuvat in nostris addere carminibus.  
 O utinam hanc miseram posuissem in limine vitam  
 Fregissetque meam Parca remissa colum.  
 Vidimus excidium domus, & fata impia Fillis,  
 Nunc tota in cineres terra perusta cadat.

## L U S U S.


## A U T U M N U S.

**L**ætæ dies surgit, pingues iam ponite mensas.  
 Lætæ dies plenis tota fluat dapibus.  
 Mos est Agricolaë postquam collegit aristas  
 Festivas Cereri concelebrare dapes:  
 Et sua Bacchus habet nigro convivia luco,  
 Scilicet expressi pocula plura meri:  
 Serta, coronati calices, petasunculus ingens;  
 Atque manent agiles post bona verba chori.  
 Valle sub umbrosa nitidis qua flumen arenis  
 Diffluit & nitidis linter amicus aquis  
 Est locus: hunc tortis hederæ sparsere chorimbis,  
 Albaque vestibulum servat oliva suam.  
 Prandia silvestres iunctim celebremus ovantes,  
 Et madeat fuso mensa parata mero.  
 Flava polenta prius, cicera, sicciq; phaseli,  
 Et quas contusæ condit amurca fabæ;

Lactucæ veniant cultri sapor optimus horti,  
 Palladis & nitidus desuper humor eat.  
 Inde faginati subeant bonâ viscera porci  
 Efficiat nostras candidus Anser opes.  
 Turturibus iungemus aves, leporemque columbis;  
 Melampo in silvis præda petita cane.  
 Caseus, uva recens, tigno servanda sub alto,  
 Atque immixta novis persica poma piris.  
 Agrestesque nuces, maturæ & dona Minervæ  
 Ultima sint nostræ munera letitiæ.  
 Post facili Upilio carmen moduletur avena,  
 Extinctus donec cogat abire dies.

## H Y E M S,

**F** Rigida sævit Hyems, gelidis aquilonibus aer;  
 Atque undæ brumis, obriguere gelu.  
 Retia Venator, pedicas, & spicula condit;  
 Quærit & hirsutas per nemora alta feras,  
 Jam caulæ pecudes retinent, præsepia tauros  
 Ne noceat frigus, ne noceantque nives.  
 Limina tuta tenet pastor, sovet anxia Mater  
 Ante focum natos, dum sua pensa trahit.





## BACCHANALIA.

**T**E Dori agnovi pellem pastoris Amintæ,  
 Scilicet & gereres cingula nota patris;  
 Mutatumque habitum, & vincires crura cothurnis  
 Quales sæpe solet Cinthia ferre pede.  
 Quid vero tecum Tisbis faciebat ad aures  
 Mutua cui modico dicere verba sono;  
 Et vidi, nutusque, oculos, atque ora notavi.  
 Te Tisbis certe perfida torret amor?  
 Pastoremque tuum formoso decipis ore,  
 Decipis & miserum Dorida luminibus.  
 Certe torret amor Tisbis? non læta choreas  
 Sic pede tam celeri perfida nocte dares.  
 O utinam tepidus spirasset ab æthere ventus!  
 Curreret o utinam limpha remissa padi.  
 Tunc fractæ fidei, tunc fœdera rupta pudoris  
 Undas per medias naufraga perlueres.  
 Non ita concussæ versantur vertice frondes,  
 Non sic in præceps volvitur amne ratis:  
 Cum notus impellit surgentia nubila Cælo;  
 Foemina ut instabiles mutat amore vices.  
 Tisbidis uxor eris! sacras te ducet ad aras,  
 Curret in amplexus candida Hiella meos.

## L U S U S.

**C**ompulerat pecudes herbosæ ad pascua vallis  
 Tirsis amor Glyceres Nata parente Dori.  
 Sol erat. Occasum medius spectabat & ortum:  
 Stabat & æquali noxque, diesque loco.  
 Vicino ut Chloris demergeret amne capellas  
 Venit inornatis pulchra puella comis:  
 Quam pastor saxo pontis specularus ab alto  
 Vellet ut invitat hospita adire dapes.  
 Conveniunt ambo latebroso in fornice rupis  
 Collis ubi, & nitidas silva coronat aquas.  
 Cantharus affistit lateri divisus agresti;  
 Dein condita perant munera parva sale:  
 Duxerat huc Glycerem dispersæ cura iuvençæ,  
 Quæ simul ac Tirsis furta, dapesque videt;  
 Iniecit furibunda manus per virginis ora,  
 Et miseram implicitis volvit in orbe comis,  
 Nec potis est Chlori Pastor divellere amantem,  
 Nam furor & sævus tela ministrat amor,  
 Cum porvit, fugiit gemitu testata dolorem  
 Exclamat Glyceres præmia digna fide  
 Sunt hæc Tirsi mea! Chloris dabis improba pœnas,  
 Matri namque tuæ turpia furta feram.  
 Hinc abit ammissæque premit non cura iuvençæ;  
 Sola sed in mensis tota moratur amans.

Crudelemque vocat Tirsim, crudelia fata,  
Orat & ultores in sua damna Deos.

AD NOBILISSIMUM,  
ET PRÆSTANTISSIMUM RIMALDIUM  
DE FERRARIENSIVM INGENIIS  
OPTIME MERITUM, &c.

## C A R M E N.

**H**Oc mihi postremum Musæ concedite munus,  
Ultima quod tandem nostri sit meta laboris.  
Si rude principium, vatis si gratia nulla;  
Nullaque fucatos præmisit charta colores  
Gratus finis erit; quæsitæ & pagina versu  
Quæ RIMALDE tuas præferret nomine laudes:  
Sospite quo redeunt musæ, quo magnus Apollo;  
Et doctis iterum sapientia clara chatedris,  
Quidquid & antiquas homines didicere per artes,  
Ut possint studiis vitam conferre beatam.

Pegaseos aurire sacros de fonte liquores,  
Et virides capiti componere fronde coronas  
Ante alios cuperem; sed non ea viribus ætas  
Ut quondam exagitat sæbeo Numine fibras.  
Jam prævisa malis incommoda prima senectæ,  
Durius & senio vitam iam cura fatigat;

Quam mihi perpetuam Patruus cum funere liquit  
 Nec satis hoc superi! nisi mors inopina sodalem  
 Crescenzi ante diem raperet, quo carior alter  
 Nec fuerat vobis, nec erit mihi carior alter:  
 Cui Fæbus citharam, ipsa suas donaverat artes  
 Pallas; & Uranie præcepta evolvere Divum.  
 Uranie o quantum, quantum tu perdis Apollo!  
 Hoc duce solari reliquam cum carmine vitam  
 Et Riminaldeos meditabar arundine fastos.  
 Egregiosque referre viros de stirpe creatos  
 Seu pax alma colat; bellum seu terreat urbes  
 Vidit & obstupuit tarpeja Curia sede  
 Cives obstupere omnes, sanctusque Senatus:  
 Dum Jura & leges, puerosque recludere fontes  
 Per proavos, Atavosque tuos sensere disertos;  
 Qui possent totum ad libram componere mundum.  
 Hinc tibi venturos certissimus Augur honores,  
 Et canerem meritos legum pro munere sensus:  
 Cum dabitur proceres inter spectare latinos,  
 Quos sua sublimis devexit ad æthera virtus.  
 Nec mea Rizzardum, Alfunsum quoque musa taceret  
 Cui Mars illustri conspergit pulvere crines  
 Magnanimus Dux imperio, & præstantibus armis.  
 Sed mors immatura sinu spes abstulit omnes;  
 Et stigjo mersere lacu læta omina Parcæ.  
 Quæ possum memor his brevibus contexere chartis

Lætus agam : tenues quæſo ne deſpice luſus  
O decus Eridani ; numeris gravioribus aptum.  
Sic moriturus olor ſilva conſectus opaca ;  
Aut prope Meandri ſinuofas fluminis undas  
Extremam properare videt dum funeris horam  
Dulcius ingenitum modulatur gutture carmen ;  
Labentemq. diem , labentis tædia noctis  
Muſicus aſſiduæ ſolatur munere vocis :  
Paullatim donec moriens cadat inſcius ales  
Exanimiſque canens ponat cum carmine vitam.

Pergite Pierides : non nomina magna potentum,  
Regales non ſemper opes , non principe natos  
Fæbus amare ſolet , nec laudavere camenæ  
Divite quem cultu tenet ambitioſa ſupellex ,  
Altaque Nobilitas nulli ſervire coacta :  
Si genio indulgens multis terat otia nugis ,  
Diffundatque avidis ingentia Munera ſcurris .  
Fæbus amat , Muſæque negant occumbere leto  
Qui doctos fovet , & vates amplectitur ultro :  
Offitiisſque ſuis diſpenſat labile tempus ;  
Quiſque libens patriæ , populique negotia verſans  
Præſtat opes , curasſque ſubit , vigilesque labores ,  
Et propriis præfert ſemper bona publica rebus .  
Nec ſinit opratum decerpere membra ſoporem ;  
Nec ſinit ora cybum , cum res comiſſa requirat.  
Non ut ſe pulchris tantum virtutibus ornet ,

Aliciatque procul venales plebis honores:  
 Ast ut perfolvat patriæ quæ mutua debet  
 Offitia, atque sua cives pro parte beatos  
 Efficiat. Cumulat donis hinc sæpe merentes  
 Et favet ignotis sortem execratus iniquam;  
 Si quis fortuna pulsus, seu casibus actus  
 Intravit muros, nostris aut appulit oris.  
 Huius enim æternis florebit gloria chartis;  
 Atque tibi Patriæ tutela, salusque Lycei  
 Semper erit nomen, tua didita Fama per ævum.

Est domus. hæc studiis steterat sacrata Minervæ  
 Nomine clara olim, gestis præclara virorum,  
 Insuetoque opere, artificumque polita labore.  
 Has sedes coluere viri, doctamque palestram,  
 Ut bona civilis noerent consortia vitæ;  
 Virtutesque, artesque omnes ad commoda natas.  
 Nescio quo fato, diris volventibus astris  
 Jamdudum rudis hæc iacuit, neglectaque moles  
 Nocturnis avibus, tacitis loca muribus apta.  
 Nescit ubi tenues sublimis aranea casset,  
 Et laqueis suspensa capit sub fornice muscas.

Nunc turpi mundata situ, mundata veterno  
 Regia palladio magno nitet æmula testo.  
 Hanc circum depicta manu tua dona videntur:  
 Effigiesque patrum, simulacraque prisca virorum;  
 Ad mores studia, urbes applicuere regendas:

Marmora diversis quæsitæ ex partibus orbis  
 Ægyptum, auroramque super, vel litus eorum  
 Vestibulū ante ipsum, primoque in limine splendent.  
 Quæ sunt pingenti, doctis & idonea scalpris  
 In tabulis tu cuncta vides. Monumenta columnis,  
 Mænia, vel celsas ferientes sydera turrets;  
 Extantesque undis pontes, scopulosque minaces  
 Æquoribus mediis, fractasque aquilone carinas.  
 Nec procul hinc molem, interruptaque saxa ruinis  
 Murorumque minas alto de culmine cernes;  
 Et nemora, & sylvas, nigras & montibus umbras.  
 Auspiciis rediviva tuis Academia surgit,  
 Et surgunt artes, redeunt te vindice Musæ:  
 Et Jura, & quidquid nugax, vel garrula fudit  
 Græcia; socraticique sales, risusque iocique.  
 Quos pauper scripsit sudato Plautus honore,  
 Dum mola curriculo frangebatur saxea fruges.  
 Porticus; hic plenum docto sonet ore Lyceum  
 Quæ divus Plato, Aristoteles, Podalirius Heros;  
 Aut tulit Hippocrates medicæ experientia vitæ:  
 Hic sophia monstrante vias, monstrante mathesi  
 Incipient iuvenes subpterea loca cæca vagari,  
 Et seiunctarum scrutari exordia rerum.  
 Mox montes, tractusque maris; dein orbita solis  
 Metiri, & totum peragrare licentius æther.  
 Musarum domus hæc; iuveni otia grata canenti

Jam

Jam lustrare auso Saturni sydera versu.  
 Hunc neque Treicius vates, non vincet Ariost  
 Littore Delfinas solitus iam voce vocare;  
 Nec qui cum cithara posuit fundamina Cadmi.  
 O urbs! o patria! o Superis gratissima tellus.  
 Læta viis, immota tuis ad prælia muris.  
 Fertilibus iam dives aquis, atque ubere glebæ.  
 Erige squalentem tandem Ferraria vultum;  
 Nec dolor altus edat, lacrimæque per ora recurrant.  
 Jam curæ, cessere metus, cessere labores;  
 Et meliora Deum spondent tibi fata salutem.  
 Iam spes, Jam patriæ virtus collapsa refurgit.  
 Prostratum interea ante pedes en conspice natum  
 Clementis magni, propius qui Numen adorans  
 Ambas protendit palmas, supplexque precatur:  
 Ut post divinæ reparatas Palladis artes  
 Ad nostros tandem convertat lumina campos  
 Disiectasque domos, subversa ferocibus undis  
 Et nemora, & latis cernat pecuaria silvis.  
 Iam mare felineum terra dominatur, & unda  
 Aggeribusque super fertur Neptunus, & omnem  
 Æquore mergit humum, segetes exundat in omnes,  
 Diluvioque homines iterum miscere conatur.  
 Stant pavidi clamore senes, fremitumque sonantē  
 Undarum excipiunt cives in mænibus altis;  
 Et faciem terræ supra considerare pontum



Prospectant stupidi, tumidosque affurgere fluctus.  
 Hinc turbati animi, hinc discors sententia vulgi  
 Mussitat; & repetens duras ab origine causas  
 Arma capit furor, antiquas & sculcitat iras,  
 Ruricolæ interea extollunt aggere ripas,  
 Arbuteisque student occludere cratibus undas.  
 Fervet opus. Populi quibus est comissa potestas  
 Non lacrimis parcunt, votisque exposcere Divos.  
 Erige squallentem tandem Ferraria vultum.  
 Nonne vides qualis nunquam sese obtulit ante  
 Pura veste micet summus Pater, atque sacerdos.  
 Nonne vides pronus RIMINALDI ut pendeat ore  
 Suscipiatque preces, & dexter inhæreat aure:  
 Dum veterum causas reteggit, dum singula pandit;  
 Errorisque loci, ambiguosque per arva labores.  
 Iamq: animo sedet ingentes componere lites;  
 Comunesque viros æterna pace tueri.  
 Iam feriunt, sanctumq. probant per sæcula sædus.  
 Rhenus inundet aquis subiectos flumine campos!  
 Externi fontes, externa & culta pererrent!  
 Dixerat. At folio CLEMENS dum defilit alto  
 Sacratris iterum Præsul dedit oscula plantis.  
 Eia age surge Heros duplicem cape frondis honorẽ;  
 Quæque tibi memor illustri Ferraria pompa  
 Eridani ad lætas statuit spectacula ripas.  
 Eridanus glauca pretextus arundine crines,

Panferis ingenti & dorso subnixus acuto  
 Quem fræno retinet longisque coercet habenis  
 Dispersos late fluvios ciet undique concha:  
 Hunc sequitur Tiberis latiis properatus ab oris  
 Tectus & ipse caput, glauco velatus amictu;  
 Et tandem in nostra consistunt flumina terra  
 Unde tibi faustum demittunt omen ab urna.  
 Adfueræ Ripis cultæ pede Naiades udo  
 Arboribusque deæ Driades, per læta Napeę  
 Gramina colludunt, Satiri, Faunique bicornes;  
 Cætera & agrestis divum nemorosa propago:  
 Et tibi selectos flores, & olentia spargunt  
 Serta viis, tolluntque arcus, ac stemmata ponunt  
 Hæc dum Pierides felici rure geruntur  
 Palladis ad sedes, ad nobile in urbe lyceum  
 Ire iuvat, fortunatas & scandere scalas.  
 Omnis quo læto fertur Ferraria plausu;  
 Atque viri, iuvenesque senum longissimus ordo;  
 Illustresque Equites cristato vertice compti.  
 Atria magna peto sub aperta consita corte!  
 Hic ubi musiva positus labyrinthus in arte  
 Undique fallaces prosternit euntibus orbes.  
 In medio variis surgunt simulacra figuris:  
 Unde foraminibus rursus se tollit ad auras  
 Lympha fluens, paribusque cadit contermina guttis.  
 Omnia mirabar tacitus, nec cuncta videbam,

Nam

Nam mea me vestis, deiectaque lumina fastu,  
Pauperis & cultus longe proiecit ab aula.  
Ut potui tandem discindens pectore turbam  
Viribus, anne dolis iterum reptatus in altum  
Pervenì doctas penetratus ad usque chatedras,  
Quæ loca sola equites, & densâvere rogati.  
Singula quid referam non visa prioribus annis  
Nec nostris forsan visura nepotibus unquam.  
Conspexi tamen admirabile pariete textum,  
Fulgentesque trabes, radiantia marmora muris,  
Auratosque gradus veterum subsellia patrum,  
Quos nigra ex humeris dependens læna tegebat.  
Sed magis obtutu stabam defixus in uno.  
Atque oculos nequeo, vultumque explere tuendo  
Picturâque sacra ieiunam pascere mentem.  
Stabat, & hinc spatio depictus Spinola parvo  
Et lateri effigies Riminaldi fixa sinistro.  
Ut procul agnovi vultus, procul ora notavi  
Principis ora mei, Clementis Numina magni.  
Tunc supplex animo, tacita veneratus acerta  
Talia collacrimans parva sum voce locutus  
Hic vere patet ore Deus! sic Numen in astris  
Esse reor. Similis pietas, reverentia talis  
Maiestas, firmisque sedet sapientia dogmis:  
Quam Regum favor, & quam nulla potentia vincet.  
Felices populi, fortunatique Quirites

Queis fortuna dedit vitam conducere in annos  
 Et propius vultum Clementis & ora tueri.  
 Hoc mihi si invideat, ne te prostratus adorem.  
 Nos tamen ingentes animos, cognovimus ausus  
 Nec me decipiet visus, nec fallat imago.  
 Fortunata dies felicia sæcula mundi,  
 Quæ latio similem folio videre parentem.  
 Jupiter o hominum precibus si flecteris ullis  
 Annæ dive Pater, comunibus annæ votis;  
 Ut nunquam metas vitæ, nec tempora CLEMENS  
 Ultima perveniat. talem si degere vitam  
 Fata negant, si cuique dies, atque imminet hora:  
 Serus at ille cadat, longum concede per ævum  
 Annos Clementi innumeros, sine fine triumphos,

Hoc Riminalde mihi cælestis pignus amoris  
 Concilia, & duris felix tu prospice rebus:  
 Nec pigeat quandoque animum recreare dolentem  
 Pondere curarum, tenuesque audire camænas,  
 Sæpe quibus noster Deus oblectatus Apollo est.  
 Te quoque finge illi similem, nec sperne labores,

F I N I S.

## I N D E X

*Argumentorum, & rerum, quæ hisce  
in libris habentur.*

## I N L I B R O P R I M O .

<b>A</b> D Censores.	<i>Fronte supercilio.</i>
De Annuntiatione V. Mariæ.	<i>Nondum prima parens.</i>
In Nativitate Jesus Ch. Salv.	<i>O Nox candida.</i>
In Epiphania.	<i>Sancte puer.</i>
Ad Jesum post Triduum Inventum.	<i>Te dilecte puer.</i>
In Penthecosten.	<i>Quæ nova quæ.</i>
In Jesus Christi resur- rectione.	<i>Jam lacrimis maduere.</i>
In assumptione M. V.	<i>Advenio surgens.</i>
Ad divum Aloysium.	<i>Non fons tam puris.</i>
De statu sine amore feli- ci, & viceversa.	<i>Cur mea non fregit.</i>
De Vatum paupertate.	<i>Tanta ne semper agent.</i>
Ad Amicum ob recupera- tam valetudinem.	<i>Cum mea mens animo.</i>

Lusus poetici

Mane

Meridies,

Vesper,

Nox.

Super passione D. N. J.

Christi,

*Exit ab eoo,**Evacuant bona,**Sol ruit oceano.**Pastor oves, silvasque.**Aligerum Cætus;*

## IN LIBRO SECUNDO,

De die Natalitio.

*Non ego Natalis,*

De vita, &amp; morte NN.

Amici,

*Blozze licet,*

Invitatio Sodalit ad

Ruris delicias,

*Tu vacua solus,*

Laudes vitæ pauperis, &amp;

deprecatio ad Superos. *Formosi colles,*

De vita Poetæ.

De pueritia eiusdem

*Non molles Veneris,*

De eiusdem adolescentia,

*Nunc decet exornare.*

De Juventute,

*Salve pars melior,*

De Virilitate,

*Sumite nunc firmas.*

De Senectute,

*Tempora diffugiunt,*

De ultima Senectute,

*Parvum restat adhuc.*

Lusus Rustici,

*Prona dies gressus.*

IV.

*Pallentes violas.*

De obitu  
Parentis ejusdem  
Auctoris.

*Cernis ut Aprilis.  
Floribus ast quoniam  
Jam properans nobis.*

IN LIBRO TERTIO.

Ad Amicum.  
Annus Rusticalis.  
Januarius.  
Februarius.  
Martius.

Aprilis.  
Maius.

Junius.  
Julius.

Augustus.

September.  
October.  
November.

December.

*Cognita sepe tua.*

*Quum Borealis equos  
Evoe Bacche ruos.  
Has vites.*

*Ne finite.  
Sol pater in partes.  
Lilia cana crocumque.  
Vidistin Turtur.*

*Nunc laqueos.  
Dum Fœbus campos.  
Vos fratres ætate.*

*Ast quoniam.  
Sint laudes Cereri.  
Sint laudes Baccho.  
Tu quoque sancte.*

*Ligdame nonne.  
Pulchra Nisella.  
Tu mihi purpureos.  
Nunc frigus Tectis.*

Lusus poetici.

Ver.

Æstas.

Ad Emin. Serram in  
ejus adventu.*Solvitur acris Hyems  
Et nulli egelidis.**Nicolae decus.*

## IN LIBRO QUARTO.

Ad Illustrissimum &amp;c.

Riminaldium.

De venustate Fillis.

In obitu Fratris.

In domum illecebrosam.

Lusus poetici.

Vota ad Superos.

De Infortuniis Poetæ.


Lusus poetici.

Autumnus.

Hyems.

Glacies.

Deploratio.

Ad Illustrissimum, & præ-  
stantissimum Riminal-  
dium &c.*Ibis ad antiquas.**Dicite Pierides.**Ex oculis lacrimæ.**Ite procul Musæ.**Jam fervet succensa.**Exercere solum.**Fæbe pater quoniam.**Si mea scire cupis.**Læta dies surgit.**Frigida sævit Hyems.**Te Doti agnovi.**Compulerat pecudes.**Hoc mihi postremum.*



## PROTESTATIO.

**D**Emum de more interest adnotare & benevolos, amantissimosque lectores commone-  
re ut de me quoque bene, atque optime senti-  
ant; etiam si vocabulis usus sim Deorum, Dearum  
Fillidis, Amicæ. In his enim veterum imitatus  
exempla antiquam Numinum Mithologiam adhi-  
bui, neque ab illa scribendi ratione ac consue-  
tudine recessi. Nam ut cecinit celeberrimus Poe-  
ta: *Delia nulla mihi, nulla Corinna fuit. fictæ  
iuvant* &c. Auctor enim se Catholicæ Religioni  
addictum profiteatur, atque omnino declarat.



## ERRATA

## CORRIGE.

Pag. 11. lin. 5. mimus	minus
pag. 14. vers. 20. tenent	tenent
pag. 31. vers. 6. lavit teneros	lavit & teneros
pag. 32. vers. 5. valent	nocent
pag. 34. vers. 17. imbroba	improba
pag. 43. lin. 12. Calvarium	Calvariam
pag. 53. vers. ult. promant.	promam
pag. 55. vers. 24. detulit	dettulit
pag. 59. lin. 1. auris	ruris
pag. 62. vers. 15. quos	quas
pag. 63. vers. 1. vulta	culta
pag. 75. vers. 24. gerir	gerit
pag. 78. vers. 7. ignorat	ignoret
pag. 88. vers. 17. currus ut ante suos	ut currum ante suum
pag. 90. vers. 13. caros	spernis
pag. 91. vers. 18. o	et
pag. 99. vers. 1. qum	quum
pag. 125. vers. 17. male	mala
pag. 127. vers. 16. lacent	latent
pag. 145. vers. 2. versat	verset
pag. 161. vers. 20. lanificoque	lanificaque
pag. 101. vers. 11. <i>deest</i>	<i>dulci.</i>

Die 10. Maij 1772.

IMPRIMATUR

*Thyrus Can. Pagliarini Vicarius Capitularis.*

Die 10. Maij 1772.

IMPRIMATUR

*F. Aloysius Maria Ceruti O. P. Vicarius*

*Generalis Sancti Officii Ferrariae.*

TO THE

MEMBERS

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE



